





PHILOSOPHIÆ, AC MATHEMATICÆ TOTIVS INSTITVTIO,


Cum Aſſertionibus diſputatis, & vario genere Problematum.

Ad uſum Studioſæ Iuventutis.

Authore

P. PETRO GALTRVCHIO,
AVRELIANO, Societ. IESV.

PHYSICA VNIVERSALIS.




VIENNÆ AVSTRIÆ,
In Bibliopolio IOANNIS BLAEV,
M D C L X I.



AVGVSTÆ COELI REGINÆ MARIÆ VIRGINI DEIPARÆ.


ATVRAM *in votum afferimus*, MARIA, *sed quam ubique aut despicis, aut relinquis. Etenim magna es miraculorum effectrix, ipsaque maximum facta in naturæ miraculum, jam in ipso etiam conceptu prodidisti, quàm nihil Tibi cum vulgari naturâ commune foret. Cessit & in natali naturæ vis, & sese victam confessa, infantem licet, adoravit ut Reginam. Mitto reliquos vitæ gradus, quibus tam altè subducta es, ut ne suspiciendo quidem natura quidquam viderit præter evanescentem imbecillitatis suæ similitudinem. Quid loquar*

magnos partus? quid conceptum pronubâ virginitate Filium? quid salvâ integritate natum? Ipse adeò totus orbis, quid non in Te semper vidit ac veneratus est supra naturam? Abest à cæcis lumen, à claudis ingressus, vox à mutis, color & succus à tabidis, salus à morbosis; qui si tamen ad Te accesserint, sic Te duce atque auspice naturam vincunt, ut quot truncæ manus ac pedes, quot membra è tholo Tuo consecrata pendent, tot victæ naturæ trophæa sint atque insignia. Et tamen Naturam in votum afferimus? Ita ô Diva, & si clientes audis, meritò. Naturam vincis ac superas, supplex ergo adit, Tibique se summittit, quod non faceret, nisi & majorem agnosceret, & victricem: honor & potestas Principis, inferiorum obsequio coronatur. Naturam offerimus, sed ut quæ inchoata sunt perficias, vitiosa emendes, imbecilla corrobores, senescentia interpoles, omnia denique sana præstes atque integra. Quid enim aliud vel usquam Orbis soles efficere, quæ in perditæ naturæ data es solatium, & in hoc unum creata, ut cùm naturam excepisses & in antiquam asserüisses nobilitatem, ea Tibi perpetuò addicta, Tuoque cultui mancipata esset?

PRÆ-

PRÆFATIO
DE NATVRA PHYSICÆ.

PHYSICA nomen trahit à Græco φύσις, quod naturam significat. Est enim scientia de rebus naturalibus; seu de corpore naturali ut sic; quia disputat de naturâ, causis, & proprietatibus corporis naturalis, sive in communi, quæ est Physica universalis; sive in particulari, quæ est Physica particularis; ut Physica De Mundo, De Generatione, & Corruptione rerum naturalium, tum De Animâ.

Ac corpus hoc loco sumitur pro substantiâ corporeâ; diciturque corpus naturale, quatenus est compositum ex *naturis*: quod naturæ nomen, ut statim explicabimus, tribuitur materiæ & formæ, quæ sunt partes, seu principia intrinseca corporis naturalis.

Notandumque est, in hoc genere Philosophiæ maximè esse obscurum Aristotelem; ideóque suos Physicorum libros vocat Acroamaticos seu Auscultatorios, &c. Physici auditus; quòd propter abstrusam, & reconditam doctrinam quam continent, sola lectione, aut privato studio comprehendi non possint, sed periti

interpretis operam exigant, attentissimosque, & studiosissimos auditores.

Hanc autem Physicam universalem divido duas in partes; quarum prima est, De Naturâ, seu Essentiâ, & De Principiis tum intrinsecis, tum extrinsecis corporis naturalis. Secunda est, De Proprietatibus ejusdem corporis naturalis.

Porrò, quod nonnulli objiciunt, facultatem hanc complecti multa saltem, quæ in opinione solùm posita sint, & utramque in partem agitentur probabiliter; quam ob causam non videatur mereri nomen *scientiæ*. Rℓ. Fieri hoc loco denominationem à parte potiori. Multa enim traduntur in Physicâ, quæ videntur esse prorsus demonstrativa. Iis verò qui secus sentiunt, respondimus in Logicâ, *Disput.* 4. *cap.* 6. *sub finem*.

METHODVS
ET
INSTITVTIO
PHYSICÆ VNIVERSALIS.

PARS PRIMA
De Natura & Principiis Corporis naturalis.

TRACTATVS PRIMVS
De principiis intrinſecis, & de natura, ſeu eſſentia corporis naturalis.

DISPVTATIO I.
De principiis intrinſecis corporis naturalis.

CAP. I. *Notiones quædam principii, & corporis naturalis.*

PRincipium aliquando idem eſt ac initium rei alicujus. Aliquando ſignificat id vel unde res eſt, vel unde fit, vel unde cognoſcitur; 5. *metaph.* 1. Quamobrem alia dicuntur *principia cognitionis*; illæ nimirum propoſitiones quæ ſunt primò, & per ſe notæ, ex quibus ſolent inferri per diſcurſum multæ aliæ cognitiones; *ut habetur in Introduct. ad Logicam. cap.* 2. Alia autem ſunt *principia*

pia rei, ea nempe sine quibus res esse, aut concipi seu definiri non potest. Sic fundamentum & terminus dicuntur principia relationis: sic terminus à quo, & ad quem in omni mutatione, sunt ejus principia: sic maximè causa omnis, ut pote dans esse rei, vocatur ejus principium. Quo pacto ex principiis alia sunt *intrinseca*, alia verò *extrinseca*.

Principia extrinseca dicuntur ea quæ sunt extra rem principiatam; id est, quæ non sunt partes ipsius compositivæ. Ita *finis*, propter quem res esse, aut fieri intelligitur, est principium illi extrinsecum. Ita & *causa efficiens*, à quâ per veram productionem procedit effectus: ut suo loco fusiùs explicabitur.

Principia verò intrinseca, sunt partes aliquod totum componentes, ac proinde *intra ipsum* veluti inclusæ; solentque etiam appellari *elementa* compositi. Quæ quidem ut intelligantur de substantiâ corporeâ, seu de corpore naturali, cujusmodi est *homo*, *equus*, *lignum*, *ignis*, *aër*, *&c.*

Suppono 1. Substantiam corpoream, in eo differre maximè à substantiâ immateriali, qualis est Angelus, quòd illa sit composita ex substantiis partialibus, quæ totalem ejus essentiam constituant; quarum altera dicitur *materia prima*; altera autem *forma substantialis*. Sic homo constat ex corpore, tanquam ex materiâ, tum ex animâ rationali, tanquam ex formâ, quæ illi dat *esse* hominis, estque principium facultatum atque operationum quæ sunt hominis propriæ. Et verò ubi homo interiit, factâ animæ separatione à corpore, tunc manifestè deprehenditur, quemadmodum anima priùs cum corpore ipsam hominis essentiam totalem con-

constitueret. Idemque istud patet ex quavis aliâ corruptione & transmutatione substantiali: ut quando lignum in ignem convertitur, peritque *esse* ligni. Tum enim necesse est, ut aliquid substantiale ipsius ligni remaneat, ne dicatur lignum prorsus annihilari, & consequenter ignis produci ex nihilo: illud autem quod remanet, semperque in eo casu perseverat incorruptibiliter, vocatur *materia prima*, ut jam dixi, peritque tantùm ipsi adjuncta pars substantialis, quam *formam substantialem* nominant, quæ constituebat Tò esse ligni, eratque principium earum omnium proprietatum quæ sequuntur *esse* ligni; ajuntque materiam & formam illam esse principia intrinseca, seu partes compositivas ligni: quo pacto etiam corpus & anima rationalis sunt principia intrinseca, seu partes ex quibus constat homo: quod perinde statuendum est de quavis aliâ substantiâ corporeâ. Jam verò

Suppono 2. Substantiam hujusmodi corpoream vocari *corpus*, & quidem *corpus naturale*; quatenus sic dicitur constare ex materiâ primâ, & forma substantiali, quas vocant naturas.

Notabis enim 1. Variam esse hujus vocabuli significationem. Et quidem sumitur ut plurimùm pro essentiâ rei cujuscunque; qualis dicitur natura Angelica, humana, equina, ignea, &c. Tum pro universalitate rerum; pro collectione causarum naturalium; pro rerum temperamento proprio, viribusque agendi propriis. Verùm hoc loco sumitur tantùm pro primo ac radicali principio earum operationum, aut proprietatum quæ sunt in substantiâ corporeâ completâ; ut in homine, in equo, in lapide, &c. Sic forma substantialis per quam constituitur

lapis in esse lapidis, est principium emanativum illarum proprietatum & qualitatum, quæ reperiuntur in lapide; quo etiam pacto est principium illius gravitatis & motus, per quem deorsum tendit. Ita in animali, anima est principium *activum* earum operationum quas exercet. Vt enim vegativa est, dicitur causa nutritionis, & augmentationis: ut sensitiva, est causa sensationum, tam internarum, puta imaginationis, quàm externarum, puta visionis, auditionis, &c. Item, sic est causa motus progressivi, causa motuum appetitus sensitivi, ut amoris, odii, tristitiæ, gaudii, &c. At materia prima est principium emanativum quantitatis, per quam habet extensionem partium, eamque mensurabilem, divisibilem, impenetrabilem, &c. Huc adde materiam quoque illam esse principium *passivum* multarum operationum, aut motuum qui in ea recipiuntur, & sine quâ non forent: ut nutritio, & augmentatio, aliaque id genus quæ propria sunt corporum animatorum.

Paucis verò ista omnia comprehendit Aristoteles, ubi sic naturam, prout hoc loco sumitur, definit: *Est principium & causa primò & per se, & non secundum accidens, motus ejus in quo est:* seu corporis illius quod constituit, & in quo includitur ipsa natura.

Notandumque est 2. *Motum* hîc sumi non tantùm pro motu propriè dicto, qualis est motus localis, tum motus intensionis, & augmentationis, sed etiam pro motu emanationis, unde procedunt proprietates ab essentiâ; item & pro illo genere mutationis quam secum afferunt novæ actiones ortæ ab ejusmodi principio intrinseco; ut diximus de nutritione,

tione, de intellectione, de sensatione, & aliis id genus.

Not. 3. Hîc sermonem fieri de motu simul & de quiete, ubi particula (&) debet intelligi in sensu disjunctivo, quatenus natura dicitur principium vel motus in iis quæ moventur, vel quietis in iis maximè, quæ acquisito termino, in ipso positivè consistunt; quomodo lapis hæret proprio in loco, resistendo etiam motui contrario.

Not. 4. Naturam dici principium & *causam*. In quo differt à *privatione*; quam sequenti capite ostendemus esse quidem principium, non autem causam.

Not. 5. Dicitur principium *primò & per se, & non secundùm accidens.* Vt hoc pacto significentur materia & forma substantialis, quæ sunt prima principia & radicalia illius motus. Quod non convenit potentiis accidentalibus, *v. g.* gravitati, aut levitati, à quibus oritur quidem proximè, sed non *primò & radicaliter*: nec sunt in corpore naturali, ut partes ejus substantiales, sed tantùm *secundùm accidens*. Ita etiam ubi medicus per artem sibi propriam seipsum sanat, ars illa non est nisi secundùm accidens, principium sanitatis in ipso medico: neque enim ars illa in nobis est, nisi ut forma accidentalis. Atque ex istis quidem

Colliges 1. Naturam hoc loco tum materiæ, tum formæ substantiali convenire, quandoquidem sunt partes substantiales ex quibus constat substantia corporea, quam *completam* appellant, ad distinctionem ipsius materiæ, aut formæ, quæ non sunt nisi substantiæ *incompletæ*, id est, *partiales*, de se nimirum ordinatæ ad componendam totalem. Item

Colliges 2. Totalem hanc substantiam ideo vocari *corpus naturale*, quia sic constat ex *naturis*. Neque huic corpori naturali, aut substantiæ completæ cuicunque, puta Angelo, convenire hanc *naturæ* definitionem; quia non sunt partes compositi substantialis, in quo sint principia motus ipsi proprii. Item,

Colliges 3. Quemadmodum corpus naturale differat à corpore artificiali, puta à cathedra, quæ per artem accepit cathedræ formam ejusmodi. Neque enim motus deorsum, aut alii naturales motus, sunt ab ipsâ *v. g.* cathedrâ, quatenus est corpus artificiale, sed tantùm quatenus est corpus naturale; seu lignum compositum ex materiâ & formâ substantiali.

Notabis verò ultimò; Objectum quidem materiale Physicæ esse corpus istud naturale: siquidem, ut initio ajebam, disputat de naturâ, proprietatibus & causis corporis naturalis. At proprium & formale ipsius objectum, aliud etiam non est, quàm idem corpus naturale, quatenus naturale est; nempe, quatenus constat ex materiâ & formâ substantiali, ut sunt principia illarum proprietatum quæ considerantur in corpore naturali. Nec ferè discrepant ii qui docent considerari à Physicâ ipsum corpus naturale, *quatenus mobile est*, seu quatenus habet in se principium motus Naturale enim ut sic, idem est ac habens in se hujusmodi principium motus & quietis: immò non habet principium motus & quietis, nisi quatenus naturale est: ergo priùs est naturale, quàm mobile; atque idcircò *naturale ut sic* potiùs statuendum est pro objecto formali Physicæ.

CAP.

CAP. II. *Quot sint principia intrinseca corporis naturalis, tam compositionis, quàm generationis.*

DIco I. In doctrinâ Aristotelis, materia prima, & forma substantialis sunt principia compositiva corporis naturalis; vel ut alii loquuntur, sunt elementa, seu principia compositionis. Prob. Quia sunt partes essentiales ex quibus constat. Illisque convenit definitio principiorum, *ex* 1. *Phys. Principia sunt ex quibus primò & per se, non per accidens, res naturales constituuntur.* Item, *Quæ neque ex sese, neque ex aliis, sed ex ipsis omnia fiunt*; eo nimirum sensu, quòd omnia corpora naturalia fiant ex materiâ & formâ substantiali: nec materia illa, & forma fiant, seu componantur ex se invicem; id est, non habeant aliam aut materiam, aut formam sui constitutivam: alioquin fieret processus in infinitum.

Notandumque est contra antiquos; non esse unicum duntaxat rerum omnium principium constitutivum, seu compositivum; puta, *ignem*, aut *aquam*, &c. Quia sequeretur inde nullam esse inter corpora naturalia diversitatem essentialem: neque verò etiam ex uno *v. g.* igne, aut ex alio pariter elemento prodirent tam diversæ proprietates, & operationes. At

Not. 2. Plura non esse quàm duo allata: quia sufficiunt; nec alia assignari possunt. Unde meritò ab Arist. rejiciuntur veteres, qui principia alia, imò & infinita statuebant. Quomodo Epicurei docebant omnia constare ex atomis undequaque fortuitò concurrentibus; sicque adversabantur doctrinæ de providentiâ Numinis. Item, rejicienda est quoque illorum

ſententiâ, qui ſupponunt elementa, nempe *ignem, aërem, terram* & *aquam*, eſſe incorruptibilia; tum ex ejuſmodi elementorum particulis duntaxat componi omnia corpora naturalia. Quod in Tract. De Mundo refutabimus. Diſp. De Mundo Element. c. 1.

Iam verò ut agam de corpore naturali in fieri, ſeu de illius generatione: Supponendum eſt generationem hoc loco, eſſe actionem ſaltem paſſivam, unde corpus naturale intelligitur generari. Illa autem generatio viâ quidem naturali perficitur, quatenus materia prima jam præexiſtens ſub aliquâ formâ ſubſtantiali, recipit diſpoſitiones ad aliam, ſub quâ poſtea exiſtat, vetere deperditâ. Quare generatio naturalis, id eſt, quæ fit ſecundùm ordinem naturæ, vocari ſolet tranſmutatio ſubſtantialis, quia ſic materia prima tranſmutatur, quaſi tranſeundo à non eſſe formæ alicujus ſubſtantialis, ad eſſe illius. Iſtudque Tò non eſſe formæ ſubſtantialis in materiâ jam diſpoſitâ, propriè appellatur privatio, quia eſt carentia formæ in ſubjecto apto, ſeu diſpoſito ad illam formam. His autem ſuppoſitis.

Dico II. In doctrinâ Ariſtotelis 1. phy. c. 6. Principia intrinſeca naturalis generationis, quatenus eſt tranſmutatio quædam, ſunt materia prima, tanquam ſubjectum; deinde forma ſubſtantialis, ut terminus ad quem; ac denique privatio, ut terminus à quo. Prob. Quia illa dicuntur principia rei alicujus, ſine quibus intelligi aut definiri non poteſt; ut initio monui. Atqui ſine illis tribus generatio naturalis definiri, aut explicari non poteſt, quatenus eſt tranſitus ſeu tranſmutatio. Primò enim debet eſſe ſubjectum quod tranſit. 2. Terminus à quo

fit

sit transitus. 3. Denique terminus ad quem fiat; nam & iste est terminus à quo specificatur generatio, siquidem ex eo generatio dicitur vel humana, vel equina, quæ terminatur ad formam vel humanam, vel equinam, &c.

Not. 1. Illa generationis principia dici interna, non quidem ipsi generationi, quia non magis per proportionem ipsi interna sunt, quàm relationi subjectum & terminus; aut motui terminus à quo & ad quem: debent igitur dici principia generationis interna solùm corpori naturali; siquidem vel sunt ipsius intrinsecè constitutiva, ut materia & forma: vel quia privatio non alibi ut in subjecto reperitur, quàm in materia, quæ corpori naturali est intrinseca. Neque hîc agitur nisi de generatione quæ fiat viâ naturali, id est, materiâ jam præexistente sub formâ, & quæ disponatur ad formam novam. Alioquin dum creatur cœlum *v. g.* privatio in eo casu locum non habet.

Not. 2. Illa etiam dici principia *corporis naturalis in fieri*; quia corpus naturale non generatur viâ naturali, nisi quatenus producitur forma substantialis in materiâ dispositâ, quæ consequenter transit à non esse illius formæ, ad ipsius esse. Verùm

Not. 3. Privationem hoc pacto non principiare, nisi ut terminum à quo, non autem ut elementum; quia non est pars corporis naturalis. Item, sic dicitur principiare per se; quia per se intelligi non potest illa generatio, sine privatione ut termino à quo. Cum autem scribit Arist. privationem habere se tantùm per accidens ad corpus naturale, tum sumit corpus naturale in facto esse. Item,

Not. 4. Ab Arist. prima principia dici *contraria*

traria & quidem *prima contraria*. Sed accipiendus est tantùm pro formâ & privatione. Nec agit nisi de contrarietate latè sumptâ, prout reperitur quoque inter positivum & negativum.

CAP. III. *Solvuntur objectiones.*

Objic. 1. Quod non principiat realiter, non potest esse principium entis realis. Atqui talis est privatio; quia non est ens. *Neg. Ma.* Sit enim privatio principians tantùm negativè, est nihilominus principium corporis naturalis, ut terminus à quo; sicque auget numerum principiorum, non quidem positivè, sed negativè saltem.

Inst. 1. Non principiat realiter & positivè. *C.* Ergo solùm per rationem. *N. Conf.* Quia principiat negativè nemine cogitante.

Inst. 2. Non posset explicari quandonam principiaret: ergo non principiat. *Prob. Ant.* Neque enim principiat ante generationem, quia nondum forma producitur; neque post generationem, quia jam forma producta est; neque in instanti generationis, quia tunc simul esset cum formâ cui opponitur; quod implicat. ℞. Principiare in instanti generationis per sui desitionem, seu desinendo, vel per primum non esse sui.

Inst. 3. Tunc non existit privatio. *C.* Ergo tunc non potest principiare: alioquin pariter diceretur posse principiare, etiam quando corpus est in facto esse, quanvis tunc non existat. *Dist.* Non principiat quando non est absolutè, sed quando non est desinendo; seu quando primò non est.

Inst. 4. Quod nunquam fuit, non principiat desinendo; nam desinere alicujus rei, supponit

nit illius esse. *C.* Atqui nunquam fuit privatio. *Quod sic probant:* quia tunc tantùm esse potest, quando subjectum est aptum. *C.* Atqui non est aptum, nisi quando habet ultimam dispositionem ad formam: tunc autem generatur forma, cum qua nequit consistere privatio. *Dist.* Subjectum non est aptum perfectè & ultimò nisi quando est ultima dispositio. *Tr.* Antea non est aptum inchoativè. *N.* Dico enim toto eo tempore esse aptum, & habere privationem, quo disponitur ad formam. Vides igitur quemadmodum satisfiat illi difficultati, nempe quomodo, & quando principiet privatio.

Objic. 2. Forma recedens tam deberet etiam dici terminus à quo generationis, quàm privatio: ergo sic plura essent principia generationis quàm tria. ℞. Iuxta doctrinam Aristotelis debere hîc fieri solùm mentionem termini à quo proximi & immediati, quanvis de facto forma recedens possit quoque dici terminus à quo saltem remotus. Item sola privatio est terminus à quo per se; nam intelligi absolutè non potest generatio formæ in materia, quæ non transeat à non esse formæ ipsius, ad esse ejusdem, etiam non recedente formâ vetere, saltem per absolutam Dei potestatem; quamobrem forma recedens est tantùm terminus à quo per accidens. Item, in doctrinâ Aristotelis, *per accidens* est *v. g.* igni, quòd generetur ex materiâ præexistente sub ligni formâ: cùm generari possit ex materiâ sub aliis formis præexistente. At *per se* est, quòd fiat ex *non esse* ignis.

Inst. Illud tantùm dicitur terminus à quo in generatione, quod expellitur vi formæ advenientis. Atqui sic forma vetus solùm expellitur; nam illud solùm propriè expellitur, cui

con-

contrariæ dispositiones producuntur ab agente. *Dist. Ma.* Quod expellitur vel positivè, vel negativè, quod privationi convenit; istudque sufficit.

Objic. 3. Totum ipsum quod positâ novâ formâ substantiali generatur de novo, est etiam terminus ad quem generationis. Ergo perinde ac forma debet dici principium illius. ℞. Formam esse terminum ipsius proximum; item & specificativum tam generationis, quàm corporis ipsius geniti; ideóque solùm hîc habetur ratio illius.

Objic. 4. Non potest aut intelligi, aut esse corpus naturale sine unione materiæ cum formâ Ergo illa unio debet accedere ad numerum principiorum internorum. *Dist. Ant.* Non potest intelligi sine unione tanquam conditione. *C.* Tanquam parte constitutivâ, quæ consequenter sit propriè principium. *N.*

Objic. 5. Generatio intelligi non potest sine causa generante. *C.* Ergo causa generans est etiam principium generationis. *Dist.* Intrinsecum. *N.* Extrinsecum. *Tr.* Nam hîc agitur solùm de principiis intrinsecis.

Quod etiam ajunt, non fieri generationem naturalem sine prævijs dispositionibus; unde inferunt eas debere quoque annumerari principiis generationis. ℞. 1. Eas non pertinere ad generationem, nisi præsuppositivè; non autem formaliter. Item, ℞. 2. Eas tenere sese ex parte materiæ; nec proinde constituere principium ab eâ diversum, quatenus in generatione naturali, debet esse materia disposita.

DISPV-

DISPVTATIO II.

DE MATERIA PRIMA.

CAP. I. *Natura materiæ primæ.*

SI materia illa nudè consideratur, & præcisè tantùm secundùm propriam entitatem, vocatur *materia prima*; aut materia remota. Alioqui, si consideratur ut affecta est certis dispositionibus in ordine ad formam aliquam in se recipiendam, vocari solet *materia secunda*.

Dico autem I. Materia prima est substantia incompleta seu partialis, quæ formam substantialem in se tanquam in subjecto recipiens, cum eâ constituit corpus naturale; puta hominem, equum, arborem, lapidem, ignem, aërem, solem, &c.

Notandum enim est, nec materiam hominis *v. g.* debitis affectam dispositionibus; nec ejus animam, esse hominem, sed eas tantùm esse partes ex quibus componitur seu constituitur homo. Et sic de aliis. Item,

Not. 2. Solùm ejusmodi compositum dici *substantiam completam*; nam quæ entia de se ordinata sunt tanquam partes ad aliud constituendum, vocantur *incompleta*.

Not. 3. Materiam primam sic in genere suo causare corpus naturale; nempe recipiendo in se formam substantialem. Etsi enim dicatur quoque causa subjectiva formarum, tam substantialium, quàm accidentalium; hac tamen ratione formas substantiales non causat, nisi ut totum constituat. Dicitur verò causa formarum saltem materialium, quatenus illæ naturaliter

liter saltem existere nequeunt, nisi in materiâ tanquam in subjecto recipiantur; unde & ab eâ dicuntur *sustentari*. At anima rationalis quia spiritualis est, potestque de se naturaliter existere, & operationes sibi proprias, nempe rationales, exercere extra omnem materiam; ideo est independens à materiâ ut *sustentante*; non tamen ut *recipiente*; cùm enim sit essentialiter forma corporis naturalis constitutiva, munus illud præstare non potest independenter à materiâ in quâ recipiatur, & quam informet.

Not. 4. Ex dictis in doctrinâ Aristotelis, conflari duplicem materiæ primæ definitionem; quarum altera est *negativa*; altera autem *affirmativa*. Negativa est, quæ naturam materiæ primæ explicat per negationes; ut cùm ait materiam ex qua fit *v.g.* homo, equus, lapis, &c. *Non esse quid*, id est, non esse hominem, equum, lapidem, aliáque id genus corpora naturalia, quæ sola propriè & simpliciter appellantur *quid*; quia habent quidditatem seu essentiam completam. Item ait, de se illam *non esse aut quantam, aut qualem, sed tantùm in potentiâ aut ad quantitatem, aut ad qualitatem, aliáque accidentia*, quibus denominetur aut quanta, aut qualis, &c. Scribitque D. August. materiam primam, ubi tantùm per negationes hoc modo cognoscitur, *cognoscendo ignorari* secundùm id quod est positivè; quanvis nihilominus ita *ignorando cognoscatur* aliquâ ratione; nam & ipse Deus à nobis cognoscitur viâ negationis, cùm asserimus eum non esse ens corporeum, finitum, &c.

Affirmativa autem definitio explicat naturam materiæ primæ secundùm id quod est positivè. Vt cùm ajunt *Esse subjectum primum ex quo*

per

per se, & non per accidens fit corpus naturale. Nam est ejus pars substantialis, & ea quidem subjectiva, quia corpus naturale non constituit, nisi per modum subjecti, recipiendo in se formam substantialem. Additque Arist. *esse illud ultimum in quod abit corpus naturale, ubi corrumpitur.* Nam *v. g.* ubi lignum in ignem transmutatur, nihil ex ligno remanet nisi materia prima.

Dico consequenter II. Natura materiæ primæ est *pati*, seu recipere in se formas; unde & vocari solet *ens potentiale*, seu *potentia passiva.* Prob. Quia hoc est proprium illius munus; differtque maximè in eo à formâ substantiali, quòd hæc materiam actuando, suam causalitatem exerceat respectu compositi; materia verò formam in se recipiendo.

Notandumque est 1. Materiam primam vocari *puram potentiam passivam*; non eo sensu quòd in composito non habeat propriam entitatem, eamque actu existentem; vel ut vocant, *actum entitativum.* Nam etsi in genere substantiæ sit imperfectissima, suam nihilominus habet substantialem entitatem, verè & realiter corporis naturalis constitutivam, & quantitatis per quam illud extensum est ac physicè divisibile, emanativam: ut postea exponam. Quod autem est pars realis compositi, & proprietatis realis emanativum, non potest non esse reale, & actu ens. Eo igitur sensu duntaxat dicitur *pura potentia passiva*, quòd nullum subjectum actuare queat, cùm sit subjectum primum, ab aliis potiùs actuabile. Item, quòd in constituendâ essentiâ corporis naturalis, propriam causalitatem non exerceat, nisi recipiendo in se formam substantialem. At

Not. 2. Potentiam illam passivam vocari ab aliis

aliis *gremium*, *& sinum* materiæ primæ, unde recipiat formas. Quanquam illa potentia passiva non est aliquid distinctum ab ipsâ entitate materiæ. Etsi enim potentiam activam à causâ efficiente vulgò distinguant philosophi, non idcirco necesse est distingui passivam à subjecto recipiente, cùm pauciora requirantur ad patiendum, quàm ad agendum. Conf. Quia si materiæ primæ opus foret potentiâ aliquâ realiter distinctâ ad formas recipiendas; haberet quoque opus & aliâ ad potentiam hanc recipiendam; & sic daretur processus in infinitum.

Not. 3. Materiam primam certo genere dispositionum affectam, hoc modo ad certam specie formam substantialem determinari, quæ vulgò dicitur *potentia materiæ proxima*, ipsique est accidentalis; quia materiæ primæ perinde est determinari ad hanc, aut ad aliam formam. Et verò si nudè, & secundùm se consideretur, habet potentiam universalem & indifferentem ad quascunque formas, quæ vocatur *potentia remota*; estque ipsi essentialis, & necessaria. Quare cùm unaquæque res appetat naturaliter propriam perfectionem; ita materia certis affecta dispositionibus, & ad certam specie formam determinata, dicitur illam appetere, seu naturali propensione in illam ferri, illamque exigere: alioqui nudè considerata, non unam potiùs, quàm aliam cujuscunque generis formam postulat; qui vocatur *appetitus universalis, atque indifferens* ad quamcunque formam; sequiturque ad potentiam ipsius materiæ universalem atque indifferentem: quæ mox ostendam.

CAP.

CAP. II. *Materiæ primæ incorruptibilitas, & dependentia à formis substantialibus.*

SVppono materiam primam in generatione naturali non produci, totamque esse ab initio mundi creatam, & eandem perseverare sub variis formis substantialibus: Et verò quandoquidem illa subjectum non supponit, quia est primum omnium subjectum, non potest produci nisi per *creationem*, quæ vires agentium naturalium superat; estque actio Dei propria; ut tractatu sequenti explicabo. Ergo non potest produci in generatione naturali. Item nihil est naturaliter generabile, nisi quod corruptibile est. At

Dico I. Materia prima est naturaliter incorruptibilis. Prob. Quia ut docebam cap. 1. superioris Disput. Illa remanet semper tanquam subjectum commune formæ corruptæ, & de novo genitæ, ubi *v. g.* lignum transmutatur in ignem. Alioquin sequeretur lignum annihilari prorsus, tum ignem sic naturaliter produci ex nihilo, quod repugnat. Deinde non posset afferri ratio cur fiat major ignis ex majore ligni copiâ quæ in ignem conjicitur, si lignum secundùm omnem sui entitatem substantialem desineret; neque enim ex eo fieri posset major igni accessio. Quod autem sic manet incorruptum, non potest non esse naturaliter incorruptibile. Et verò alioqui non posset esse subjectum commune generationum omnium.

Objic. Materia prima in generatione dicitur mutari. *C.* Quia transit ab *esse* unius formæ, ad aliud. Ergo sic corrumpitur. *Dist.* Corrumpitur subjectivè, quatenus hac ratione est subjectum corruptionis, uti & generationis. *C.* Non autem

autem corrumpitur terminativè, quatenus sit terminus corruptionis, ipsáque esse desinat.

Inst. 1. Illa vulgò dicitur esse principium corruptionis: neque enim res corporeæ sunt corruptibiles, nisi quia constant ex materiâ. Ergo à fortiori est corruptibilis. ℞. Non esse principium corruptionis aut generationis, nisi purè passivum, ipsúmque etiam de se indifferens ad formam corruptibilem, aut incorruptibilem; nec forent de facto corpora corruptibilia, nisi de facto haberent subjectum ejusmodi passivum corruptionis. Quanquam ipsa corruptibilitas non oritur formaliter, nisi à formâ substantiali, quæ materiæ unitur solùm defectibiliter, nempe suppositis dispositionibus, quæ per vires agentium naturalium effectivè destrui non possunt.

Inst. 2. Dependet in suo esse ab existentiâ formæ corruptibilis, siquidem existere in rerum naturâ non potest sine formâ. Ergo est corruptibilis, & corrumpi de facto deberet deficiente omni formâ. ℞. Non alio modo dependet à formâ, quàm quia de se ordinatur ad constituendum corpus naturale per unionem sui cum formâ substantiali. Cujusmodi dependentiam ab ipsâ materiâ potest vicissim habere & forma incorruptibilis, putà anima rationalis, salvâ omni incorruptibilitate naturali.

Inst. 3. Sequeretur eandem numero materiam quæ est in Petro, maximè apud anthropophagos, reperiri posse in Paulo à quo fuisset voratus Petrus: & sic eadem fieret materia Pauli. Quomodo ergo in resurrectione propriam unusquisque materiam resumeret? ℞. Quod à nobis comeditur, minimâ solùm ex parte converti in nostram substantiam, reliquum abire

ut

ut plurimùm in excrementa. Sicque ex Dei providentiâ debere fieri, ut ne eadem materia unquam futura sit duorum hominum, nisi fortè minimâ ex parte aliquâ; unde patet solutio ad allatam hypothesim.

Inst. 4. Si materia prima est de se incorruptibilis, sequitur formam substantialem corruptibilem ab eâ superari in perfectione naturæ. *Dist.* Secundùm accidentalia ejusmodi. *Trans.* Non autem secundùm essentialia. Sic enim forma est actus & principium operationum quæ reperiuntur in corpore naturali, quod materiæ non convenit.

Dico II. Etsi materia prima de se est incorruptibilis, non potest tamen viâ naturali existere absque formâ substantiali. Prob. Quia materia prima de se, & essentialiter est ordinata ad formam in se recipiendam: habetque modum essendi proprium (qualis explicatur in Metaphysicâ. *Tract.* 1. *Disp.* 3. *cap.* 4.) per quem non existat connaturaliter nisi sub formâ substantiali. Confir. Quia non aliam ob causam corruptio unius formæ, est generatio alterius, unde consequenter nunquam de facto aliqua materia sit absque formâ; quod enim ita se habet, non potest non fieri per leges naturæ necessarias. Iam verò quod juxta hanc assertionem docent;

Dico III. Quandoquidem materia prima existere naturaliter saltem non potest sine formâ substantiali; consequens est, ut formam hujusmodi quantùm est de se appetat, pro naturali rerum omnium inclinatione ad propriam perfectionem. Item, & ex eodem appetitu, secundariò saltem, refertur ad dispositiones accidentales, sine quibus forma in materiâ nec recipi,

nec conservari potest. Nam ad accidentia alia, quales sunt formæ artificiales, ut rotunditas in ligno; respectum & appetitum habet neutrum, seu indifferentem. Sed

Not. 1. Materiam nudè consideratam habere appetitum indifferentem hujus aut illius formæ, sive corruptibilis & sublunaris, sive incorruptibilis & cœlestis; sive nondum corruptæ & naturaliter producendæ, sive jam corruptæ & supernaturaliter solùm reproducibilis, cùm de se postulet tantùm esse sub formâ substantiali, qualicunque tandem modo in eâ producatur, hoc enim illi per accidens est. Et verò ut materia prima sit commune formarum, ac generationum omnium subjectum, debet ex naturâ suâ esse ad quamcunque indifferens; si enim foret ad aliquam determinata, non posset illam viâ naturali deponere, ut novam susciperet. Item

Not. 2. Materiam hanc jam aliqua formâ substantiali affectam, aliam absolutè non appetere, sed potiùs sub illa quasi quiescere. Frustra enim esset ille appetitus; quia formam non appetit, nisi quia de se est ordinata ad constituendum corpus aliquod naturale; quare obtento fine illo, nihil est cur novam appetat, nisi conditionatè, id est, ex hypothesi quòd illa expellatur. Nec dicas, ideo vulgò ajunt esse illam principium & causam corruptionis, quia pro suâ veluti inconstantiâ & mutabilitate, quam habet formam respuit, ut succedat nova. ℞. Novam non appetere nisi prout novis affecta est dispositionibus, per quas illius appetitus incipiat determinari ad aliam.

Dico IV. Etsi materia prima non existat connaturaliter, nisi sub formâ substantiali; potest

potest nihilominus absolutè conservari à Deo sine omni formâ. Prob.contra Thomistas. Quia hoc nullam involvit contradictionem. Nec valent objectiones Thomistarum nisi adversùs eos qui docent existentiam esse actum quendam realiter distinctum, qui *Toti*, aut formæ duntaxat, primò & per se communicetur; nec materiam existere nisi per existentiam formæ substantialis. Sed ultimâ hujus Tract. Disp. *c.* 4. & *c.* 5. ostendemus nullum esse totum ejusmodi realiter distinctum à partibus collectivè sumptis; ipsamque materiam primam habere propriam sibi existentiam & essendi modum.

Objic. Sequeretur existere à parte rei individuum aliquod nullâ in specie entis determinati; siquidem materia secundùm se, neque est homo, neque ignis, neque aliud corpus naturale. ℟. *Nego hanc sequelam:* esset enim in specie entis determinati incompleti, seu substantiæ incompletæ.

Notabis igitur non debere necessariò suppleri aliquem effectum formæ substantialis circa materiam, ut sola extra omnem formam conservetur in rerum naturâ. Item

Not. 2. Quòd eo in casu acciperet à Deo & *modum essendi* per quem ad statum illum determinaretur. Istudque per proportionem debere admitti in formâ.

Dico enim V. Contra eosdem Thomistas, posset pariter forma substantialis etiam materialis existere extra omnem materiam. Prob. Quia istud non magis repugnat, quàm quod docet Christiana Fides de accidentibus Eucharisticis, quæ nimirum existunt extra omne subjectum, cùm tamen à subjecto non minùs dependeant, quàm forma substantialis.

Objic. Anima *v. g.* equi existens extra omnem materiam, operaretur independenter à materia : ergo spirituali modo : ergo ex eo diceretur forma spiritualis : quia illa dicitur esse forma spiritualis, quæ operatur independenter à materiâ. Atqui falsum conſ. ergo & antecedens. ℞. Probabilius est quòd in illo statu operari non posset, defectu facultatum organicarum, quibus careret; nec impossibile est substantiam creatam constitui in eo statu, in quo non posset operari. Item, in illâ hypothesi, anima equi non desineret esse materialis; quia de se est substantia materialis, cum ordine ad operationes & proprietates omnes materiales; sic enim habet & partes entitativas; potestque suo modo fieri formaliter quanta, &c.

CAP. III. *Materiæ primæ unitas specifica, cum propriâ Quantitate.*

DIco I. Materia prima ubique est ejusdem speciei, sive in corpore sublunari, sive in cœlesti. Prob. Quia in iis non apparent signa ulla diversitatis specificæ. Ergo hæc diversitas admitteretur sine ullo rationis fundamento. Conf. De sublunari : quia alioqui non esset subjectum idoneum transmutationum naturalium; nec posset naturaliter fieri *v. g.* ignis ex ligno, si materia ignis deberet esse diversæ speciei à materiâ primâ ignis. Conf. De cœlesti: ex eo quòd vulgò ajunt sacræ scripturæ interpretes, Deum secundâ die creationis fecisse firmamentum, deinde postea cœlos alios, aut astra, ex aquis. Vnde consequens est, ut materia illa cœlorum sit ejusdem speciei cum materiâ quæ est sub formâ hujus aquæ elementaris.

Notandumque est, Aristotelem loqui de materiâ

teriâ proximâ, cum ait, sublunarem non esse ejusdem rationis cum cœlesti. Item, cùm ait illa tantùm habere materiam communem quæ transmutantur, tunc materiam communem non accipit pro eâ quæ sit ejusdem, aut diversæ speciei; sed tantùm pro eâ quæ potest reperiri tum sub unâ, tum sub aliâ formâ; & sic fieri multis corporibus naturalibus successivè communis.

Objic. Quæ materia ex naturâ suâ est subjectum corruptionis & generationis, differt specie ab eâ quæ talis non est. *C.* Atqui materia cœlestis de se non est subjectum ejusmodi; contrà autem materia sublunaris. ℞. De se utramque materiam non exigere ut sit, vel non sit subjectum formæ corruptibilis, aut incorruptibilis; cùm potius de se ad utrumlibet sit indifferens. Unde materia sublunaris perinde posset fieri materia solis, si Deus formam substantialem solis in eâ disponeret. Nec cœli idcirco dicuntur incorruptibiles, quia talem materiam habent, sed quia formas habent cum materiâ unitas indefectibiliter; id est, cum dispositionibus quæ per naturale contrarium destrui non possunt. Quare simpliciter negandum est quod supponunt adversarii, materiam primam in sublunaribus esse principium & radicem corruptionis, cùm de se illam non exigat, neque refugiat.

Inst. Non colligimus unitatem specificam in sublunaribus, nisi ex transmutatione: ergo illud statuere nequimus de materia cœlesti, quæ substantialem transmutationem non patitur. ℞. N. *Ant.* Nam quantitas est etiam proprium signum materiæ primæ. Atqui ejusdem rationis quantitas utrobique reperitur. Et verò

Dico II. Vt qualitas de se consequitur ad formam, ita quantitas per quam corpus redditur extensum, divisibile, & impenetrabile; quantitas, inquam, est proprietas specifica materiæ primæ. Prob. Quia ubique sequitur illam materiam, & cum eâ reciprocatur; quod est signum accidentis proprii. Item specialem habet cum illâ materiâ proportionem; cùm perinde activitatem non habeat, sitque instar subjecti immediati respectu aliorum accidentium materialium, quæ maximâ saltem ex parte in corpore naturali existunt.

Notandumque est consequenter, contra Thomistas, quantitatem non aliunde quàm à materiâ primâ procedere emanativè. Probatur. Quia omnis proprietas fluit emanativè à proprio subjecto. Quidni ergo & quantitas? Quod etiam confirmatur in libro De Generatione, ubi agitur de resolutione ad materiam primam. Item

Not. 2. Materiam primam non habere aliud genus activitatis præter illam quantitatis emanationem; nam assignari non potest.

Objic. Materia prima non esset pura potentia, si esset hoc modo activa. ℞. Iam supra explicui quemadmodum dicatur pura potentia passiva.

Inst. Quantitas vulgò dicitur esse proprietas corporis. Ergo sequitur ad esse substantiæ corporeæ, & quidem completæ. ℞. Propterea statuimus quantitatem sequi ad materiam; cùm hæc etiam materia sit corporis in esse corporis seu substantiæ materialis completæ constitutiva. Idem enim est esse corporeum, & esse materiale. Ergo ab eodem principio est corporeum, & materiale, unde constituitur corpus.

Nota-

Notabis enim, in serie prædicamentali *corporeitatem* & *incorporeitatem* esse differentias divisivas substantiæ; tum, secundùm nostrum intelligendi modum, constitui in *esse corporis* per *corporeitatem*; quo pacto Angelus constituitur in *esse substantiæ incorporeæ* per *incorporeitatem*. Quemadmodum autem ista denominatio *incorporei* in Angelo non petitur ab aliquâ formâ physicâ, sed tantùm ab *incorporeitate*, quæ est veluti forma quædam metaphysica, ita per proportionem nec *esse corporeum* in corpore petitur nisi à differentiâ *corporeitatis*, quæ differentia radicale principium sui aliud non habet quàm materiam. Nam aliud nihil est esse corporeum, quàm esse materiale; nec esse materiale petitur aliunde quàm à materiâ. At quanvis inferiores differentiæ, & inferiora genera petantur tum à materiâ, tum simul à formâ physicâ, ut tradidi in Metaphysicâ, *Tractat.* 1. *Disp.* 5. *c.* 5. *de Genere*; non est necesse ut idem contingat in superioribus; quod per se patet de *incorporeitate*.

Notandum verò est ultimò, quantitatem, ut proprietas est materiæ, de se vulgò appellari *interminatam*, quia certam sui configurationem, certosque terminos non accipit, nisi à causâ per quam disponitur ad generationem novæ formæ substantialis.

DISPVTATIO III.

DE

FORMA SVBSTANTIALI.

CAP. I. *Natura, Divisio, & productio formæ substantialis.*

FOrma interdum sumitur pro figurâ; aliàs pro habitu corporis & pulchritudine; aliquando pro quacunque perfectione sive substantiali, sive accidentali. Hîc autem sumitur pro eo genere substantiæ partialis, quæ materiæ primæ adveniens, ipsamque actuans seu informans, cum eâ constituit corpus naturale, talis, vel talis speciei; quod supra ostendebam ex transmutatione substantiali. Confir. Quia alioqui non posset assignari principium diversitatis specificæ & essentialis inter corpora naturalia, unde etiam fluerent proprietates; item, nec assignari posset unde aqua calida *v.g.* sese ad proprium frigus reduceret. Huc adde ex Concilio Lateranensi, hominem constitui in esse hominis per animam rationalem, tanquam per formam propriè informantem: quod à pari per proportionem de aliis æstimandum est. Iam verò consequenter

Dico I. Hanc afferri posse definitionem formæ substantialis. Est actus primus substantialis materiam primam informans, & cum ea constituens essentiam corporis naturalis sub tali, vel tali specie, estque principium operationum, ac proprietatum specificarum quæ in eo reperiuntur. Dicitur *actus primus*, quia primò & per se intenditur à materiâ; neque ullæ prærequiruntur

tur dispositiones in materiâ, nisi in ordine ad formam substantialem, cum quâ duntaxat constituit corpus naturale. Item dicitur *actus primus*: quia est primum principium proprietatum, atque operationum, quæ specialiter tribuuntur corpori naturali. Ne quid dicam de iis proprietatibus quæ oriuntur à materiâ.

Notandumque est, eam dividi in materialem, & spiritualem, qualis est sola anima rationalis. Materialis dicitur, quæ habet proprietates solùm materiales, qualis est divisibilitas, dependetque à materia in esse, & conservari. At materialium aliæ sunt incorruptibiles, ut in corporibus cœlestibus; aliæ corruptibiles, ut in sublunaribus; ex quibus aliæ sunt formæ rerum inanimatarum; aliæ animatarum, & propriè vocantur *animæ*; suntque etiam istæ vel solùm *vegetativæ*, ut formæ plantarum, vel *simul vegetativæ*, & *sensitivæ*, ut in brutis animantibus. Item

Not. 2. Formam omnem substantialem produci in materiâ tanquam in subjecto recipiente; producitur inquam, in materiâ, sive per creationem, sive per eductionem. Sola anima rationalis dicitur creari, quia producitur à Deo in materiâ, independenter ab ipsa materiâ ut sustentante, quemadmodum exposui superiori Disput. *cap.* 1. Materiales omnes dicuntur educi ex sinu, seu ex potentiâ passivâ materiæ, quatenus in ea producuntur tanquam in subjecto, non solùm ut recipiente, sed etiam ut sustentante. Quanquam

Not. 3. Eductionem hoc loco non esse sumendam propriè, sed tantùm ex communi usu philosophorum. Alii enim hujus vocis etymologiæ nimis addicti, supponunt formas substantiales præexistere formaliter, & quasi delitescere

intra substantiam materiæ, quæ accedente causâ efficiente, veluti foras prodeant, educanturque. Sed cum Aristotele contra antiquos,

Dico II. Formæ substantiales hoc modo non præexistunt, neque à materiâ sic emanant. Prob. Quia suam sententiam non probant adversarii. Ergo gratis confingitur. Item ex eâ sequeretur existere simul innumerabiles formas in iisdem materiæ partibus, quia educi ex illis possunt; ergo simul perinde contrariæ dispositiones & accidentia contraria in summo gradu simul existerent: quod per se repugnat. Item, sequeretur nullum esse causæ efficientis influxum, sed tantùm ad illius præsentiam formas emanare ex materiâ; quod falsum est: nam potiùs ab ipsâ causâ efficiente procedunt effectus, & in eâ virtualiter continentur; ut suo loco exponam: ac proinde materia formas non continet, nisi passivè illas in se à causâ efficiente recipiendo.

CAP. II. *De varietate, aut multiplicitate formarum substantialium in eâdem materiâ primâ.*

S*Vppono* duplex esse genus corporis naturalis. Aliud quod vocant *homogeneum*, cujus videlicet partes omnes sunt ejusdem rationis, & denominationis: ut aqua, ignis, lapis, &c. Nam omnes partes *v. g. aquæ*, sunt aqua: aliud verò est *heterogeneum*, cujus partes sunt diversæ rationis & denominationis. Vt corpus vivens, putà humanum. Alia enim dicitur *caro*, alia *os*, alia *cerebrum*, &c. Suntque istiusmodi partes in vivente *simpliciter* heterogeneæ, cùm se habeant illam diversitatem, tanquam instrumenta quædam, in ordine ad diversas animæ operationes. Nam aliæ sunt heterogeneæ duntaxat *secundùm*

tundùm quid, ut in lapide Porphyrite, ubi una dicitur unius coloris, alterius autem altera : vel in ligno, cujus alia eſt calida ; alia verò frigida. His igitur ſuppoſitis,

Dico I. In unâ eâdemque materiâ primâ corporis homogenei, unica ſolùm eſt forma ſubſtantialis, ſecundùm eaſdem partes. Prob. Quia fruſtra forent plures. Item

Dico II. In eodem corpore naturali, puta in homine, ad diverſos gradus eſſentiales, aut ad diverſos gradus viventis explicandos, non eſt opus niſi unicâ formâ ſubſtantiali, ſeu animâ. Prob. Quia fruſtra eſſent plures. Quòd enim homo dicatur *corpus* ; non eſt opus aliquâ formâ corporeitatis propriâ, materiæ primæ coævâ, ut docuit Avicenna : ſiquidem in fine ſuperioris diſputationis oſtendebam quemadmodum ratio corporeitatis ſit à ſolâ materiâ, tanquam à principio radicali. Nec dicas, tam homo deberet dici *ſpiritualis*, ob animam ipſi propriam quæ ſpiritualis eſt. *Negatur*. Quia dum anima rationalis corpus informat, illi materiales duntaxat effectus communicat ; præſtando nimirum vices animæ vegetativæ, ac ſenſitivæ.

Item, ab eâdem numero animâ ſunt diverſi gradus viventis ; quo pacto in homine *anima rationalis* eadem, eſt principium non tantùm ratiocinandi, ſed etiam & vegetandi, tum ſentiendi : nec repugnat diverſas illas perfectiones in eâdem numero animâ contineri : ergo fruſtra ſupponerentur aliæ animæ in eodem *v. g.* homine. Immò, quanvis non eſt expreſsè definitum, unicam ſolùm exiſtere animam in homine, ut ſcribit Pererius *in Gen. lib.* 4. Toletus tamen *lib.* 2. *de An. q.* 7. docet eſſe erroneum, aut valde periculoſum in Fide, ſi quis quacunque

ratione plures admiserit, cum Ochamo, & aliis Nominalibus. Videre est autem in Metaphysicâ, *Tract.* 1. *Disput.* 3. *cap.* 2. quæ spectant ad diversitatem graduum essentialium in eodem individuo. Præterea verò

Dico III. Forma una substantialis non potest alteri formæ substantiali ita subordinari, ut unum per se cum illâ efficiat. Prob. Vt enim proprium est materiæ subjici formæ, seu ab eâ informari; ita ex opposito proprium est formæ substantialis informare, seu actuare materiam, non autem, ut instar materiæ cujusdam ab aliâ formâ saltem substantiali actuetur, seu informetur; etsi quasdam accidentales formas in se recipiat. Sic enim, saltem oppositorum istiusmodi, hæc debet esse opposita ratio, & in eo sequi regulam oppositorum communem. Item, ex regulâ communi, quæ inductione manifesta est, non potest fieri unum per se ex actu, & actu ejusdem rationis, putà ex uno actu essentiæ, & ex alio actu essentiæ; sed tantùm ex potentiâ & actu ejusdem ordinis, ut *v. g.* ex materiâ & formâ substantiali: ergo sic forma substantialis uniri non potest alteri formæ substantiali, ut unum per se cum eâ constituat. Confir. Quia forma substantialis de se est terminus, seu actus ultimus essentiæ corporeæ, unde & ipsa essentia corporea constituitur in *esse* talis speciei ultimæ; neque enim alius ejusmodi actus essentiæ assignari potest: ergo de se non est ulteriùs actuabilis per aliam formam substantialem. Quo pacto jam dixi ex doctrinâ Fidei, sic hominem constitui in *esse* hominis per animam rationalem, ut nihil ampliùs desideretur ad complementum ejus essentiale; quod secus eveniret, si de se iterum secundùm animam esset

actua-

actuabilis per aliam formam substantialem. Neque aliam ob causam vulgò negant Philosophi posse duas naturas completas in unum per se coalescere, ut hircum & cervum in hircocervum; sicque olim à SS. PP. refutati sunt hæretici, qui docebant naturam humanam cum naturâ Divinâ in Christo coalescere in unam naturam; cùm in eo mysterio fiat tantummodo unum per se substantiale in unitate personæ.

Objic. Forma accidentalis, puta quantitas, formas alias accidentales quæ sunt materiales in se recipit, ut constat in ipso V. Eucharistiæ mysterio. Ergo pariter, saltem per Divinam potestatem, forma substantialis poterit esse aliarum ejusmodi formarum substantialium subjectum. ℞. *N. pari:.* Quia quantitas de se est quasi virtus materiæ, ut eâ mediante recipiat alia accidentia materialia, quamobrem potentiam ipsius materiæ passivam imitatur.

Iam verò, etsi forma substantialis, etiam de potentiâ Dei absolutâ non possit alteri formæ substantiali ita subordinari tanquam subjectum, ut unum per se cum eâ efficiat,

Dico tamen IV. Contra Thomistas; plures formæ substantiales per Divinam potentiam absolutam possunt simul immediatè informare materiam eandem secundùm easdem partes, & cum ea constituere diversa composita substantialia, seu diversas essentias completas. Quo pacto per proportionem, plures formæ accidentales, ut albedo & calor, eandem materiæ partem afficiunt, unde cum albedine constituatur *album*; cum calore, *calidum*: & sic de aliis similibus formis accidentalibus. Prob. Quia hoc nullam involvit contradictionem; nec magis est absolutè impossibile, quàm id quod jam ajeba-

mus fieri naturaliter in formis accidentalibus; aut quod ajunt vulgò Theologi de eâdem naturâ creatâ à tribus simul personis Divinis assumptibili; sic enim triplici modo, per triplicem subsistentiæ actum actuaretur. Atque ita meritò credimus illius rubi, qui Moysi apparuit, materiam simul extitisse sub formâ ligni & ignis, unde simul esset ignis & lignum. Ita si anima equi & leonis simul immediatè ponerentur in eâdem materiâ, efficeretur simul equus & leo, &c.

Notandumque est, illa composita fore nihilominus inadæquatè saltem, seu secundùm formas substantiales distincta realiter. Quanquam

Not. 2. Non idcirco composita illa singula propriam sibi figuram & partium conformationem retinerent, aut connaturali modo operari possent; quia repugnat corpus idem simul variis subinesse figuris, & terminis, qui inter se opponuntur indivisibiliter. Alioquin possent ea servare accidentia quæ oppositionem ejusmodi inter se non habent.

Objic. Materia prima sub unâ formâ substantiali haberet potentiam perfectè actuatam, & completam. Ergo ulteriùs non esset actuabilis. *Dist.* Haberet perfectè completam, nec esset actuabilis naturaliter. *C.* Supernaturaliter. *N.*

Inst. 1. Forma alia substantialis sic adveniret enti completo. Ergo sic faceret tantùm ens per accidens. *Dist.* Quod advenit enti completo prout completum est, vel secundùm illius actum complentem, putà si forma substantialis diceretur alteri advenire. *C.* Sed toti adveniret solùm secundùm ipsam immediatè materiam, prout incompleta est saltem supernaturaliter. Ita, in sententiâ D. Thomæ, si Pater uniretur hypostaticè Humanitati Christi, illam actuaret tantùm

præ-

præcisè secundùm se, non autem ut est jam subsistens per Verbum.

Inst. 2. Eadem illa materia sic dependeret simul totaliter à diversis formis substantialibus, id est, simul tota ab illis informaretur. *Concedo* id fieri posse supernaturaliter; quomodo per proportionem & plures materiæ simul penetrativè positæ, ab eâdem formâ substantiali simul informari possent.

Inst. 3. Si duæ simul animæ rationales idem corpus informarent; cuinam esset in resurrectione illud attribuendum, ut esset particeps aut beatitudinis cum anima beata, aut damnationis cum damnata? ℞. In eo casu, qui est præter communem providentiam institutam à Deo, fieret particeps beatitudinis cum beatâ, si Deus eâ conditione obedientiam ad mandata imperasset: aut secus, prout libuisset Deo definire.

Dico præterea V. Non modò per absolutam Dei potestatem, & supernaturaliter, sed etiam viâ naturali plures formas substantiales simul in eâdem materiâ primâ secundùm easdem partes reperiri in corpore animato. Quod sequenti capite ostendetur.

Dico VI. Quantitas multiplex, aut plura alia accidentia ejusdem rationis, ad formam substantialem dispositiva, aut cum iis naturaliter connexa, puta calores ejusdem intensionis, non possunt quidem simul existere in eadem parte subjecti. Quia frustra essent; non enim possent illi subjecto conferre diversos effectus formales. Quod autem frustra est, non potest fieri à naturâ; siquidem non agit, nisi ex sapientissimâ determinatione causæ primæ; sub quâ etiam determinatione non agit nisi necessariò. Quæ commodiùs exponentur sub finem disputatio-

nis

nis *de Quantitate* , ubi *de intensione Qualitatis*.

Dico VII. Illud posset fieri supernaturaliter; unde subjectum idem, per duplicem quantitatem pedalem *v. g.* redderetur formaliter non quidem bipedale , sed *bis pedale*. Atque ita per mille calores ut unum , redderetur millies calidum ut unum, &c. Prob. Quia hæc nullam involvunt contradictionem.

CAP. III. *De formis partialibus.*

HVic loco maximè congruit quæstio de formis partialibus , quam paucis expedio , ut magis constet de habitudinibus formarum substantialium ad materiam primam. Supponimus igitur in corpore simpliciter heterogeneo, quale est corpus vivens , inexistere animam , seu formam , quam *totalem* appellant, unde scilicet corpus universum animetur. Dubitant verò , num præterea requirantur aliæ substantiales formæ *partiales*, quibus singulæ partes organicæ in suo *esse* constituantur. *Exempli causâ*. Num in homine, præter animam rationalem, *caro* propriam habeat formam substantialem sui constitutivam ; atque ita de *osse*, aliisque partibus heterogeneis.

Prima Sententia est D. Thomæ , Suarii, Conimb. &c. Frustra esse illas formas partiales. Ac proinde docent in homine *carnem v. g.* & *ossa* non differre inter se essentialiter secundùm esse substantiale , sed tantùm secundùm esse accidentale ; vel si lubet , os & carnem non magis differre substantialiter in eodem , quam ossa ipsa inter sese. Nec rectè colligi diversitatem formarum substantialium , ex diverso genere proprietatum atque operationum in eodem animali

mali individuo; sed tantùm in diversis. Item, in mortuo animali non esse eandem numero carnem secundùm idem esse substantiale, quæ erat in vivente; sed tantùm secundùm eadem accidentia. Tunc enim, ut ajunt, generantur formæ substantiales novæ singularum partium propriæ, ex quibus conflatur totalis, quam *cadaverinam* vocant. Hujus autem generationis causam vulgò assignant *cælum*, tum ipsas etiam qualitates in cadavere residuas, tanquam cœli virtutes instrumentarias. Quæ quidem cùm videantur duriora,

Dico I. Cum Scoto, multisque recentioribus Philosophis; non esse rejiciendas illas formas partiales. *Confirmatur.* Quia dum vulgò ajunt hominem constare ex corpore & animâ, tunc *corpus* quod est subjectum animæ, non est tantùm materia prima cum solis dispositionibus accidentalibus: ergo est materia cum forma substantiali *v. g.* tum carnis, tum ossis, &c. *Prob. Ant.* Non enim aliam ob causam legimus in symbolo S. Athanasii tanquam doctrinam Fidei, Christi Domini humanitatem constare ex *animâ rationali & carne.* Caro autem non est sola materia prima cum certâ temperie accidentium, sed potiùs, est ens quoddam substantiale, etiam secundùm rationem formalem carnis. Certè, caro mortua, ex communi omnium sensu, constituitur in *esse carnis* per formam aliquam substantialem, sicque est formaliter substantia, quanvis ex Aristotele dicatur tantùm æquivocè *caro:* ergo à fortiori statuendum illud est de carne vivente; quæ non est æquivocè caro. Item, quomodo *v. g. esse* formaliter *corporeum* est radicaliter ab aliquo principio substantiali, ut dixi; ita & à pari *esse carneum:* tam

tam enim homo est formaliter & substantialiter *carneus*, quàm corporeus. *Respondent*, carnem in *esse carnis* formaliter constitui per ipsam animam; quæ dicitur forma totalis. *Sed contrà est*. Nam in homine non potest constitui in esse carnis per animam rationalem : ergo in homine habet esse substantialis carnis per aliquam aliam formam substantialem, quam *partialem* dicunt. *Prob. Ant.* Quia, ut anima rationalis daret esse formale carnis, deberet esse formaliter carnea, ac proinde corporea. Atqui repugnat illam sic esse formaliter corpoream, cùm potiùs sit formaliter immaterialis. Ergo per formalem sui communicationem non potest dare corpori *esse carneum*. *Nec dicas*; Satis est quòd sit eminenter carnea. *Respondeo*, Quanvis admitteretur illam esse eminenter carneam, non ideo per sui formalem communicationem daret esse formaliter carneum : quo pacto lumen *v. g.* quanvis sit eminenter calidum, non ideo facit corpus luminosum, esse formaliter calidum. *Quares* : Quomodo ergo, cùm sit spiritualis, est nihilominus principium vitæ vegetativæ, & sensitivæ? ℟. Quia in illo corpore quod informat, emanat potentias vitales in genere tum vegetativo, tum sensitivo; nec repugnat substantiam immaterialem esse principium effectivum operationum, non tantùm immaterialium, sed etiam materialium.

Probatur verò prætereà, carnem in homine non constitui in *esse* substantiali carnis, per ipsam hominis animam. Quia ex doctrinâ fidei, caro eadem, seu corpus Christi Domini quod natum est ex B. Virgine, idem dicitur passum, & mortuum jacuisse in sepulchro. Atqui verum illud non foret, in adversariorum sententiâ: quia caro mor-

mortua fieret alia substantialiter caro, per novam formam substantialem carnis : ac proinde etiam verè non adoraretur in cruce *corpus natum ex virgine, &c.* Nec verè illud dici potuisset in personâ Christi Domini, *Caro mea requiescet in spe.* Neque enim corpus jacens in sepulchro, propriè fuisset caro Christi.

Item, Corpus seu caro, tum anima rationalis, sunt duæ inter se realiter distinctæ & diversæ partes substantiales hominis constitutivæ; ergo una non est alia; quin potiùs præscindit perfectè ab aliâ; neque est illius constitutiva; ut non negant adversarii de materiâ & formâ ut sic, quæ sunt principia intrinseca corporis naturalis. *Prob. Ant.* Ex illo symboli jam citati articulo. Vbi legitur Christus esse *perfectus Deus & perfectus homo, ex animâ rationali, & humanâ carne subsistens.*

Item, Ex Tridentino *sess.* 13. *cap.* 3. Habemus Christi Domini carnem seu corpus, sub specie panis existere *vi verborum*, non autem ibi animam existere, nisi ex *naturali connexione, & concomitantiâ.* Vnde consequens est, animam non esse principium formale constitutivum carnis, quia non sumeretur præcisè, & seorsim ab animâ; tamque existeret vi verborum sub specie panis, quàm caro, cujus esset constitutiva.

Mitto id quod vulgò tradunt de sacris Sanctorum reliquiis; puta, de ossibus, quæ tanquam eorum ossa propria coluntur à Christianis; hoc autem explicari non posset in adversariorum sententiâ; sicque ille omnis cultus rueret.

Mitto etiam, quòd à pari dicendum est ac de plantis; in quibus rami, folia, & fructus perinde proprias habent formas partiales præter

ter formam totalem quæ in iis est vitæ principium primum.

Objic. 1. Ad explicandas vitæ vegetativæ, aut sensitivæ diversas operationes in diversis corporis membris, sufficit una anima. *Dist.* *Ant.* Ad explicandum earum operationum primum & radicale principium sufficit. *C.* Ad explicandum totale & proximum. *N.* Ita enim sola visionem exercere nequit sine oculo, & sic de aliis.

Objic. 2. Caro mortua esset eadem prorsus cum vivâ. *C.* Ergo quod scribit Arist. 1. *De An.* non esset caro æquivocè, & impropriè. *Dist.* in ratione carnis ut sic. *C.* Quis enim carnem manducans non judicet eam esse verè & propriè carnem. At non est nisi impropriè & æquivocè caro instrumentaria ad operationes vitales.

Inst. Accedente animâ, si caro cum eâdem formâ substantiali remaneret, nec produceretur nova, juxta sententiam Thomistarum, non servaretur illud dictum Aristotelis, *corruptio formæ unius, est generatio alterius.* ℞. 1. Servari quidem illud universaliter in corporibus homogeneis; ne materia prima sit absque formâ substantiali. At ℞. 2. Quod spectat corpora heterogenea, non accipiendum est nisi de corruptione totali & adæquatâ; non autem solùm de inadæquatâ. Sic enim ubi adæquatè *v. g.* corrumpitur homo, ex eo generantur vermes, fimus, cinis, &c. Quomodo è contrà, in generatione totali & adæquatâ hominis, est corruptio materiæ illius, puta seminis, aut sanguinis, ex quâ formatur.

Dico consequenter II. In eo casu plures formas substantiales in eâdem omnino materiâ reperiri: Ex quibus formæ *partiales* subordinentur *totali*, non quidem *ut potentia actui*, *sui for-*

formaliter perfectivo : hoc enim esse impossibile ostendimus capite superiori ; sed tantùm *ut instrumenta causæ principalis*, in ordine ad actiones vitæ.

Notabis enim, formam totalem seu animam, ipsi materiæ primæ per formas tum accidentales, tum substantiales partiales eo pacto dispositæ, uniri immediatè; non verò mediantibus illis formis partialibus. Ac proinde

Not. 2. Formas partiales non informari ab animâ, sed tantùm requiri ut dispositiones materiales; vel ut alii loquuntur ; non sunt tanquam partes actuabiles, sed potiùs tanquam *dispositivum* subjecti actuabilis; sicut siccitas & calor *v. g.* requiruntur ut dispositiones ad formam ignis.

Objic. Essent in homine *v. g.* plura composita substantialia. *Dist.* Essent plura totalia. *N.* Plura partialia. *Conc.* Ergo homo *v. g.* non esset quid unum substantiale. *N. Cons.* Quia unitas corporis animati petitur à formâ totali per quam in suo esse constituitur ; quocunque tandem modo se habeat materia illi subjecta. Et verò non potest esse subjectum illi proportionatum, nisi sub illis dispositionibus tam substantialibus, quàm accidentalibus.

Inst. 1. Formæ partiales non possent facere unum per se cum formâ totali ; cùm nequidem illi uniantur, tanquam potentia passiva, actui sui perfectivo. ℞. Satis est ut materia prima per illas formas partiales disposita, faciat unum per se cum formâ totali. Neque est necesse, ut formæ partiales ullam habeant cum eâ unionem, nisi materialem, id est, ratione materiæ quam afficiunt, tanquam proprium subjectum, & quam disponunt ad animam. Item, ℞. 2. Illas etiam uniri formæ totali, eo per proportionem modo,

modo, quo solent instrumenta uniri causæ principali.

Inst. 2. Hoc repugnat superiori doctrinæ, ubi ajebamus non posse in eadem materiâ reperiri formas substantiales alteri subordinatas. *Dist.* Subordinatas instar potentiæ ad actum sui perfectivum. *Conc.* Non autem instar instrumenti subordinati causæ principali.

DISPVTATIO IV.
DE TOTO,
SEV
COMPOSITO NATVRALI.

CAP. I. *Natura seu essentia compositi naturalis.*

ILlud dicitur *Totum*, quod constat ex partibus simul positis, & unitis; unde & appellari solet *compositum*, vel actuale; quando partes unitæ retinent nihilominus actualem inter se distinctionem; vel virtuale, quando non habent nisi virtualem distinctionem, ut aliàs ostendam, ubi *De continuo*.

Suppono verò, in unione partium considerari vel causam unientem; vel unitionem, seu actionem unitivam, ratione cujus intelligitur causa efficiens unire actu partes; tum denique ipsam unionem, quæ nihil aliud est, quàm conjunctio per quam partes denominantur formaliter unitæ, seu conjunctæ: quomodo per proportionem dicimus calorem esse formam accidentalem, per quam subjectum denominatur formaliter calidum. At

Not.

Not. 1. Varia esse unionum genera. Primò enim alia est *per juxtapositionem localem*. Quomodo manus duæ simul junctæ, aut lapides in cumulo, dicuntur uniri. 2. Alia est *per continuationem*; ut cùm duæ aquæ simul junctæ, fiunt una aqua continua. 3. Aliud est genus unionis quod efficitur per actuationem, aut informationem subjecti: ut quando anima unitur corpori ipsum animando; vel calor aquæ, ipsam reddendo formaliter calidam. Quare

Not. 2. Vnionem illam actus aut formæ, *per informationem*, esse duplicem. Alia enim est *accidentalis*, quando est formæ accidentalis cum subjecto; alia autem est *substantialis*, si est unio substantiæ, aut modi alicujus substantialis, cum aliquâ substantiâ perfectibili. Item

Not. 3. Vnum, aut totum, seu compositum quod resultat ex unione plurium inter se, esse multiplex. Primò enim est unum *per accidens*, vel *aggregationis*, quando plura junguntur, non per modum actus & potentiæ, sed tantùm per juxtapositionem; vel est unum per accidens *informationis*, quando subjectum & actus sunt generis diversi: ut lapis & albedo, unde resultat album; quod est unum, seu compositum per accidens informationis. Verùm, ut hoc loco non agamus de uno, seu toto per se continuationis: suppono tunc fieri unum per se informationis, quando potentia & actus sunt ejusdem generis; nempe quando utrumque illud extremum unionis est aliqua substantia, vel aliquid substantiale: ut quando materia & forma substantialis faciunt unum & totum per se essentiale: vel quando ex substantia completa & ex actu subsistendi resurgit totum, quod est unum unitate suppositi, aut personæ. Atque his prænotatis,

Dico

Dico I. Materia prima, & forma substantialis per mutuam sui unionem, seu communicationem ad invicem, constituunt totam essentiam corporis naturalis; fitque hoc modo unum, seu totum & compositum per se & essentiale. Prob. Quia sunt partes essentiales seu principia intrinseca corporis naturalis. Atqui partes ut partes, sunt de essentiâ totius quod constituunt. Nec plures, aut pauciores partes, seu principia intrinseca corporis naturalis reperias; ut primâ disputatione observavi. Quod enim spectat ad *unionem* partium, illa non est pars, sed tantùm conditio essentialis, unde ex partibus resultet totum.

Objic. Illud non est de essentiâ corporis naturalis, quo sublato remanet eadem essentia. Atqui remanet semper idem essentialiter *v. g.* homo, quanvis eadem ipsius materia non permaneat, quia subinde secundùm varias partes effluit, quæ per nutritionem reparantur: ergo non est de essentiâ. ℞. 1. Remanere semper eandem numero materiam successivè saltem & æquivalenter; ut aliàs dicam. ℞. 2. Remanet semper eadem essentia metaphysicè sumpta, quatenus res quæ definitur aliter esse non potest, quin constet ex materiâ & formâ: per accidens autem illi est, quod sit hæc; aut alia materia.

Dico II. Præcipuam hujus essentiæ, seu quidditatis partem, esse formam. Primò, quia est actus, qui semper de se nobilior est potentiâ perfectibili. Item consequenter, proprium formæ est, ut materiam de se indifferentem trahat ad speciem entis determinati, eo sensu, quòd faciat illam esse materiam corporis naturalis in tali, vel tali specie; ubi cum ipsâ constituit corpus talis, vel talis speciei. Item, forma sub-

substantialis, est principium proprietatum ferè omnium, & operationum quæ sunt in corpore naturali.

Notabis autem, quod etsi materia & forma simul conjunctæ unum per se efficiant, remanent nihilominus distinctæ realiter inter se cum illâ unione. Neque enim *v. g.* in homine corpus & anima quæ spiritualis est, fieri possunt eadem inter se entitas. Sicque definitum est reperiri in Christo Domino tres substantias, nempe Divinitatem, tum corpus & animam, ex quibus conflatur humanitas Divinitati conjuncta hypostaticè.

Dico III. Materiam & formam talis esse naturæ, ut neutram in corpore naturali supplere per seipsum Deus, etiam absolutè, possit. *Prob. de materiâ.* Quia non potest esse subjectum alicujus formæ. Deinde cum Deus sit ens spirituale, ubi cum formâ poneretur, non conferret homini gradum corporeitatis. *Prob. de formâ.* Nam de fide est, contra Apollinarem, Deum non posse supplere vices animæ rationalis, quod ille hæreticus existimabat fieri in Christo, ut hac ratione diceretur Deus. Certè homo esse non potest, nisi habeat principium essentialiter hominis constitutivum, nempe animam rationalem; ergo sic Christus homo esse non potuisset sublatâ animâ rationali.

CAP. II. *Modus quo uniuntur partes in toto, seu composito naturali.*

V*Niuntur* quidem materia prima & forma substantialis, per mutuam sui communicationem ad invicem, materia quidem recipiendo in se formam; forma autem informando ipsam materiam, ipsique suos effectus formales com-

municando, ut quando anima facit corpus esse animatum. At

Dico I. Materia supponitur esse priùs disposita ad talem formam, per certam qualitatum temperiem, aut partium etiam conformationem. Prob. Quia non frustra producuntur à natura præviæ dispositiones ad formam substantialem: ergo sine illis introduci naturaliter non potest. Quinetiam videmus destructis dispositionibus idoneis ad formam, corrumpi totum; qua ratione ingruente morbo perit animal. Ratio à priori est, quòd materia quidem per modum essendi sibi connaturalem determinetur ad formam in genere; at per dispositiones fit propria formæ alicujus in specie.

Dico præterea II. Requiri præsentiam intimam formæ cum materiâ. Nam eâ conditione sublatâ, nequidem absolutè posset illi uniri, seu illi communicare suos effectus formales. Quanquam

Dico III. Forma sic posset esse intimè præsens materiæ, nec tamen illi uniretur per informationem. Credimus enim Petrum posse divinitùs poni penetrativè cum Paulo, ita ut anima Pauli tam intimè sit præsens corpori Petri, quàm anima ipsius Petri; sicque adesse posse plures alias animas eidem corpori, ad omnes æquè disposito, quarum tamen nulla ipsum informet actu. Et verò etiam, si præsentia localis hujusmodi intima sufficeret ad unionem substantialem inter materiam & formam; pari modo sufficeret ad unionem hypostaticam inter personam Divinam, & naturam assumptam; ipsisque tribus personis Divinis Christi Domini humanitas deberet uniri hypostaticè, tum creata substantia quævis alia, cùm ubique per

suam

ſuam immenſitatem ſint ſubſtantialiter præſentes. Quamobrem plerique ex recentioribus docent opus eſſe aliquem unionis modum realiter diſtinctum, quo tanquam vinculo, ſeu nexu quodam intermedio materia & forma inter ſe connectantur. Huic tamen doctrinæ vehementer adverſatur D. Th. Quem ut cum recentioribus conciliem,

Dico IV. Modum unionis intermediæ realiter diſtinctum eſſe quidem fruſtra. Prob. Quia materia unitur formæ quatenus illam in ſe recipit; & viciſſim forma unitur materiæ, quatenus illam actuat, neque opus eſt aliâ unione formæ cum materiâ, quàm illâ actuatione, ſiquidem hoc ipſo intelligitur unita, quòd illam actuet; ſintque idem *unio* formæ cum materiâ, ac ipſius actuatio, ſeu informatio. Atqui informatio illa nihil eſt aliud quàm formæ communicatio ad materiam, unde reſultet totum ſubſtantiale. Illa autem communicatio non poteſt non eſſe immediata, citra modum entitativum illis ſuperadditum, quandoquidem materia & forma ſeipſis eſſentialiter & immediatè ſunt potentia & actus, cum mutuo reſpectu; poſſitque materia quantùm eſt ex ſe recipere immediatè formam, & forma ipſam actuare materiam. Certè, non negant adverſarii ipſum unionis modum ſeipſo immediatè uniri per informationem, abſque unionis modo realiter diſtincto. Item *modus* ille in homine, vel materialis eſt; & ſic non foret idoneus uniendæ animæ quæ eſt ſpiritualis: vel è contrà, eſt ſpiritualis, & ſic materiæ non congrueret. Vel omnino eſt duplex, ſiquidem tam una pars intrinſecè denominatur unita, quàm altera, nec volunt denominationem ejuſmodi oriri niſi à formâ uniti-

vâ, quæ simul esse non potest intrinseca duobus subjectis oppositis, & consequenter deberet esse duplex. Atque istud quidem totum multi concedunt. *Sed contrà est.* Nam pari modo juxta illam doctrinam deberet aliquis modus unionis admitti in Verbo Divino per quem formaliter uniretur humanitati in Christo, cùm tamen repugnet aliquid recipi in Deo, tanquam in subjecto; nec alio modo illi humanitati uniatur, quàm quòd illam actuat instar suppositi. Vnde pariter dicimus satis esse formæ substantiali, ut denominetur unita materiæ, quòd illam per se immediatè actuet.

At inquies: Forma de se est indifferens ut materiæ etiam dispositæ, & intimè præsenti uniatur, quemadmodum constat ex allatâ hypothesi. *Conc.* Ergo debet illi superaddi modus ejusmodi unitivus, per quem determinetur ad informandam materiam, sitque instar nexus cujusdam. *N. Cons.* Siquidem ad hoc sufficit proprius *essendi modus.*

Suppono enim ex Metaphysicâ *Tract.* 1. *Disp.* 3. *cap.* 4. Rei cuilibet suum communicari proprium *essendi modum*, per quem determinetur ut vel in se, vel in alio subsistat; tum ut forma aliqua vel extra omnem materiam existat, vel hanc, aut illam determinatè informet, &c. Qui modus propterea in hoc casu vocari potest *modus unionis*, non quidem *formaliter*, quòd sit veluti nexus partes intermedius; sed *causaliter* duntaxat; quatenus ita recipitur in formâ, ut ipsam formaliter determinet ad talem numero materiam informandam; quandoquidem (ut supponimus de naturâ modificationum ejusmodi) est essentialiter actualis modificatio & determinatio hujus formæ, cum ordine essentiali ad

talem

talem numero materiam. Et verò nihil est sui communicativum, nisi perfectum, id est, nisi fuerit cum certâ perfectione. Ille autem *essendi modus*, est actualitas quædam & perfectio, quæ rei accedat unde compleatur, perficiaturque in essendo.

Notandumque est, hoc pacto conciliari utramque ex oppositis sententiam. Sic enim cum Thomistis, non negamus partes illas uniri per sese immediatè ad invicem; simulque cum aliis fatemur esse opus aliquâ actualitate, aut essendi modo, unde ultimo compleantur, determinenturque ad mutuam ejusmodi unionem. Ac proinde nulla hîc potest esse disputatio, nisi de nomine.

CAP. III. *Solvuntur Objectiones.*

OBjic. 1. Contra id quod dictum est, materiam & formam uniri seipsis immediatè, seu absque unionis modo & nexu realiter distincto; sic, inquam, objiciunt: Partes de non unitis denominantur formaliter unitæ; qui transitus de contradictorio in contradictorium non potest esse absque aliquâ mutatione reali, ac novâ entitate. *Tr.* Respondeo enim fieri novam de facto mutationem in rebus; non modò ex parte materiæ quæ tunc dicitur informata; sed etiam ex parte *totius*, quod de novo existit in rerum naturâ.

Inst. 1. Supponatur materia disposita, tum forma producta cum proprio etiam *essendi modo* ad illam materiam determinativo, quæ tamen defectu præsentiæ intimæ non sit unita. *Sic argumentor.* Vbi per actionem causæ efficientis unietur, non poterit assignari terminus realis qui per eam unitionem producatur. ℞. assignari *totum*.

Quomodo per proportionem, quis lapides jungendo simul, dicitur efficere vel cumulum, vel domum, &c. Quæ sunt entitas etiam realiter distincta ab ipsis partibus unitis *distributivè* sumptis, ut sequenti capite exponetur.

Inst. 1. Partes possunt esse sine unione, ut si seorsum conserventur etiam cum proprio essendi modo: ergo distinguuntur realiter ab illâ unione, juxta illud commune dictum, *Quæ nemine cogitante possunt existere sine invicem, distinguuntur realiter.* ℞. Partes sic posse quidem existere sine unione denominativè & defectu connotati extrinseci, aut alterius conditionis; non autem defectu intrinseci. Forma enim sub proprio essendi modo sui determinativo ad talem numero materiam, habet intrinsecè quicquid requiritur ad hoc ut illam informet, si tamen fuerit disposita & intimè præsens. Sic etiam per certum essendi modum creatura redditur capax, determinaturque ad hoc *v. g.* ut subsistat per subsistentiam Verbi Divini, aut aliarum personarum divinarum.

Objic. 2. Cùm ille essendi modus quem supponimus, sit formæ determinativus ad talem numero materiam; Anima rationalis, servato eodem essendi modo, non posset extra illam materiam existere, quin potiùs deberet in eâ novus produci. ℞. Non est necesse ut illum mutet: eò maximè quòd dicatur retinere semper inclinationem naturalem ad *reünionem* cum eodem corpore. Etsi autem determinetur ad informandam actu talem materiam, non sequitur tamen ut illam debeat actu informare, nisi sit intimè præsens cum debitis dispositionibus.

Inst. In aggeneratione partium quæ fit per nutritionem, deberet produci novus essendi modus

modus in anima, per quem determinaretur ad partes illas de novo informandas; quod videtur per se absurdum; neque enim ille essendi modus in animâ humanâ, cùm sit spiritualis, posset produci à potentiâ nutritivâ. ℞. Partes ejusmodi aggeneratas fieri unam & eandem successivè materiam cum eâ quæ ab ortu fuit, ad quam essendi modus idem semper de se est determinativus.

CAP. IV. *Totius à partibus unitis & collectivè sumptis indistinctio.*

PArtes alicujus compositi, etiam ut unitæ, considerari possunt duobus modis. Primò, distributivè, seu sigillatim, vel ut ajunt, quatenus una aliam vel in se recipit, vel informat, actuatque, si agitur de toto & composito per se; vel certè quatenus ex illis partibus aliæ quocunque tandem modo junguntur cum aliis ad constituendum aliquod totum. Secundò, sumi possunt collectivè, seu quatenus sunt aliqua rerum simul positarum collectio.

Dico autem I. Totum à partibus distributivè sumptis distinguitur realiter. Prob. Quia cùm duo ita se habent, ut aliquid positivè & realiter includatur in uno, quod non reperitur in altero, illa distinguuntur inter se realiter. Atqui ita se habent totum & partes distributivè sumptæ. Ergo distinguuntur realiter. *Prob. min.* Materia enim seorsim, seu distributivè sumpta; forma pariter distributivè sumpta, non est totum corpus naturale; cùm præter materiam, aut præter formam, includat simul partem alteram. At contra Scotum, tum contra plurimos ex Thomistis celeberrimis, quos citat Suarez,

Dico II. Totum à partibus unitis & collectivè

 ctivè

ctivè sumptis non distinguitur realiter; seu non est aliqua tertia entitas partibus simul positis superaddita, quam causent ipsæ partes collectivè sumptæ. Prob. Quia frustra illud est. Legiturque apud Arist. 2. *De Animæ c.* 1. Animal non esse nisi animam, & corpus simul. Sicque etiam habemus in Symbolo fidei S. Athan. *carnem* seu corpus, *& animam, esse hominem*; nec hominis individua natura est aliqua entitas præter illas partes: alioquin faceret pariter & compositionem cum illis partibus; quâ ex compositione deberet quoque resurgere quarta alia entitas; & sic in infinitum. Quinetiam hominum turba, aut cumulus lapidum deberet esse aliqua entitas præter homines, aut præter lapides simul positos. Nam in ratione *totius ut sic* conveniunt, quanvis sub illâ ratione genericâ differant, quòd homo *v. g.* sit totum substantiale & essentiale, quia constat ex potentiâ & actu, tanquam ex partibus substantialibus ejusdem essentiæ constitutivis: cumulus verò sit tantùm ex aggregatione per accidens partium quæ uniuntur per solam juxtapositionem; & sic de aliis.

Dico III. Ne quidem formaliter distinguitur totum à partibus collectivè sumptis. Quia partes simul sumptæ idem sunt ac totum ipsum, & è contrà. Ita homo quatenus sumitur solùm pro individuo naturæ humanæ, non plus dicit, quàm corpus & animam, ut jam ajebam ex S. Athanasio. Neque *sex* plus dicunt, quàm bis tria; aut *Ba*, quàm B. & *A.* quanvis ut scribit Arist. non sit idem cum illis partibus distributivè sumptis, sitque homo *v. g.* tertia substantia hoc modo ab illis distincta. Non nego tamen totum distingui à partibus ut objectum distinctè cognitum, à par-

à partibus confusè cognitis. Sed nihil inde sequitur contra positam assertionem.

Objic. 1. Vnum per se, & multa, non sunt idem realiter; cùm oppositionem realem habeant ad invicem. Atqui corpus naturale est unum per se; partes autem ex quibus constat, sunt plures entitates actu realiter inter se distinctæ. Ergo non sunt idem realiter. Ergo distinguuntur realiter. *Dist.* Vnum compositum, non est idem ac multa componentia ex quibus constat. *N.* Sic enim cumulus idem est formaliter ac multi lapides simul positi. Conceditur verò *Ma.* de uno ente simplici, & de multis non componentibus.

Inst. 1. Vnum illud compositum, & partes, se habent ut principiatum seu causatum, & principia seu causæ. Atqui causæ & causatum non sunt idem; neque enim quidquam sibi dat esse, &c. ℞. partes non esse principia *totius*, nisi *distributivè* sumptas; quo sensu habent distinctionem realem à toto.

Inst. 2. Etiam collectivè sumptæ sunt causæ totius, non enim principiant *totum*, ut separatæ. Ergo ut simul sunt. Ergo ut collectivè sumuntur. ℞. Non quidem causare totum in statu separationis, sed tantùm sub unione in fieri, seu quatenus ad invicem uniuntur. Quanquam nihilominus & eo in statu mutuæ communicationis ad invicem, sumuntur vel collectivè; quo pacto non causant Totum, cùm sint formaliter ipsum *Totum*; vel sumuntur seorsim & distributivè, quatenus videlicet forma informat materiam, & materia recipit in se formam, atque hoc sensu distinguuntur ab ipso *Toto.* Ita lapides *A. B. C.* &c. collectivè sumpti sunt idem formaliter ac cumulus; At non sunt cumulus ipse,

neque illum constituunt nisi seorsim sumpti. Nam ut per se patet, nec lapis *A*, aut lapis *B* seorsim, & secundùm se, est cumulus; sed potiùs lapis *A*, aut lapis B collectivè sumptus; id est, cum aliorum collectione. Notandumque est, eâ ratione partes dici etiam principia *Totius* in facto esse. Sic enim totum existit per continuam formæ informationem, & materiæ materialisationem, ut vocant.

Inst. 2. Si partes collectivè sumptæ, puta corpus & anima, idem sunt ac *totum*; sequitur & eas esse idem inter se. Nam quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se. *Dist.* Quæ sunt eadem uni tertio adæquatè. *C.* Si tantùm inadæquatè, uti in nostro casu contingit. *N.*

Objic. 2. Si totum non distinguitur à partibus etiam collectivè sumptis, non poterit à nobis assignari ullus terminus generationis, seu entitas ulla quæ per generationem naturalem producatur. Etsi enim *v. g.* dicatur generari equus ab equo, quatenus ab eo producitur anima equi in materiâ dispositâ; saltem responderi non poterit de generatione hominis, in quâ anima rationalis non producitur terminativè, nisi à Deo per creationem: nec possumus assignare modum unionis realiter distinctum, quem rejecimus. Ergo superest ut assignemus *totum* à partibus collectivè sumptis distinctum realiter. ℞. Terminum *ut quod* in omni generatione corporis naturalis, esse totum ipsum, à partibus distributivè sumptis realiter distinctum; terminum autem *ut quo* esse formam totius constitutivam. At in naturali hominis generatione hæc non attinguntur terminativè, seu tanquam terminus qui per ipsam generationem producatur formaliter; sed tantùm dispositivè, quatenus ab ho-

homine inducuntur dispositiones, quæ de se talem formam exigunt.

Inst. Ergo generatio humana non esset substantialis, quæ solùm terminaretur ad dispositiones accidentales. *N. Conf.* Quia illæ dispositiones per se ordinatæ sunt ad formam substantialem. Huc adde ex illis dispositionibus multas esse substantiales; in sententiâ de formis partialibus.

Objic. 3. Multa attribuuntur *Toti*, quæ non conveniunt partibus etiam collectivè sumptis. Ergo non sunt idem. *Prob. Ant.* Nam *Totum* dicitur generari & corrumpi; ut quando moritur homo. Hoc autem partibus non convenit. ℞. Partibus collectivè sumptis & unitis hoc idem convenire. Sic enim illæ dicuntur corrumpi secundùm simultatem quam inter se habent, ut quando in morte *v. g.* hominis, anima separatur à corpore, etsi non desinat esse in rerum naturâ; quod in aliis contingit. Sic materiæ primæ & animæ rationali unitis & collectivè sumptis convenit denominari formaliter corpus per differentiam corporeitatis petitam à materiâ, ut supra explicui. Sic illi collectioni competit constare ex partibus. Et sic de aliis.

CAP. V. *De Existentia compositi naturalis.*

EX Thomistis qui docent *Totum* esse tertiam aliquam entitatem à materiâ & formâ simul unitis & collectivè sumptis realiter distinctam; cùm etiam supponant existentiam formaliter sumptam, distingui realiter ab essentiâ: illi, nec materiæ, nec formæ volunt propriam ullam esse existentiam, sed existere per unicum & simplicem existendi actum ipsum, quem soli duntaxat *toti* primò & per se competere arbi-

trantur. Quanquam alii putant formam substantialem esse proprium atque immediatum illius existentiæ realiter distinctæ subjectum; cujus tantùm beneficio existat materia.

Dico I. Nec materia, nec forma existunt per existentiam totius. Prob. Quia ex superiori capite, nullum est totum hujusmodi à partibus unitis & collectivè sumptis distinctum realiter; nec proinde ulla est ejus existentia.

Dico II. Nec materia prima existit per existentiam formæ, cùm ipsa materia, perinde ac forma propriam habeat existentiam, & proprium essendi modum. Prob. Quia supponimus ex Metaphysicâ, existentiam esse indistinctam ab ipsâ re existente. Vnde manifestum est rem unamquamque existere per propriam existentiam. Confirm. 1. Quia cùm actio rei productiva terminetur maximè ad ipsius rei productæ existentiam; necesse est consequenter, ut materia prima quæ propriam habet entitatem, ac proinde propriam producibilitatem, habeat etiam & propriam existentiam, unde intelligatur sic formaliter existere extra causas. Confirm. 2. Quia forma substantialis quæ de novo generatur, præsupponit materiam ex quâ educitur; ergo quæ propriam habeat existentiam: alioqui diceretur forma recipi in non existente, seu in eo quod esset nihil actu. Item, ut ajunt, sequeretur materiam tunc desinere & corrumpi, quotiescunque forma & totum corrumpitur; tunc enim illa perderet existentiam per quam existit. Sed istud non moror; quia Respondent, novam existentiam succedere immediatè pòst, quam ob causam non possit dici carere unquam existentiâ. Consequenter verò

Dico II. Totum seu compositum non existit nisi per existentiam partium; quomodo nec etiam habet aliam, quàm partium entitatem. Patet ex dictis.

Objiciunt 1. Materia non existit nisi per existentiam totius, aut per existentiam formæ. Ergo non habet propriam existentiam, nec potest etiam existere extra omnem formam, quandoquidem non existit nisi per existentiam formæ. *Prob. Ant.* Quia existentia est ultima rei actualitas, quâ res sistitur extra suas causas; ita ut per efficientiam causæ non communicetur illa actualitas, nisi veluti præsuppositâ *formâ*, & *toto*, cui solùm per se & primò competat; materiæ verò tantùm secundariò. ℞. 1. Ab adversariis supponi existentiam tanquam actualitatem quandam realiter distinctam: quod à nobis non admittitur. Item ℞. 2. Quocunque modo accipiatur existentia, hanc esse illius rei propriam, quæ propriam habet entitatem, ac producibilitatem. Quo pacto materia prima sistit, terminatque actionem sui productivam.

Inst. 1. Si materia prima haberet propriam existentiam: sic per se independenter à formâ diceretur esse in actu ultimo constituta: ergo forma non posset cum eâ facere unum per se. Quia ex duobus entibus ultimò completis non fit unum per se; siquidem ex illis alterum non esset in potentiâ. ℞. Formam non uniri materiæ ut existens est, seu mediante illius existentiâ, sed tantùm quatenus est potentia immediatè receptiva illius formæ, cum quâ proinde sic facit unum per se.

Inst. 2. Ex Arist. forma est quæ dat *esse* rei: ergo materia habet esse, id est, existentiam à

formâ. ℞. In antecedente agi tantùm de esse essentiæ completæ, cujus formale constitutivum est forma; neque enim res est talis speciei, nisi propter formam.

Inst. 3. Ex existentiâ materiæ, & existentiâ formæ non posset fieri unum per se in ratione existentiæ; siquidem actus per se ultimus, qualis dicitur existentia, non habet ullam potentialitatem respectivè ad aliud. ℞. *Transeat* illud *Totum*. Fiet saltem existentia una totalis ex duabus illis partialibus, quanvis unam per se non componant.

Notandumque est, unum etiam, tum materiæ, tum formæ esse proprium, quem vocamus *essendi modum*, de quo in Metaphysicâ loco jam citato. Item, habent & proprium *subsistentiæ actum*, qui totalem unum constituant; de quo in Metaphysicâ *Tract.* 1. *Disput.* 6. Illique propriè convenit esse *ultimam* substantiæ *actualitatem*; quod negandum esse diximus de existentiâ, contra Thomistas.

TRA-

TRACTATVS II.
DE PRINCIPIIS
Seu causis extrinsecis corporis Naturalis.

PRÆFATIO.
De Natura, & Divisionibus causæ in Communi.

OSTENDI *hactenus de substantiâ corporeâ completâ, quemadmodum constet ex materiâ primâ, & formâ substantiali, tanquam ex duabus naturis, unde & appellatur* corpus naturale. *Item, quemadmodum hæ sint illius partes, seu elementa & principia compositionis; quibus principiis accedit* privatio, *ut terminus à quo, ubi consideratur in fieri. Superest igitur ut agamus de ipsius principiis, seu causis extrinsecis. Sed*

Observandum priùs est, causam ut sic, esse principium per se dans esse alteri realiter & naturâ à se distincto: ut quando lumen, aut calor procedit ab igne: vel quando materia & forma, per mutuam sui communicationem, dant esse corpori naturali, ab illis distributivè sumptis realiter distincto. Ex qua quidem definitione colliges, privationem, *quanvis sit principium generationis, non esse tamen illius causam; cùm enim sit non ens, alteri dare esse non potest. Item, conditiones ad agendum non sunt causæ, quia non dant esse. Item, Pater æternus dans esse Filio quem generat, non est propriè illius causa, quia non habet distinctum esse naturæ.*

Not. 1. *Quatuor has vulgò enumerari causas: Primò, est* efficiens; *quæ definiri solet principium unde res est; seu à quo procedit effectus; neque ullus est effectus sine causâ ipsius productivâ.* 2. *Est*

causa

causa finalis, *nempe, id propter quod res est, aut fit. Sic enim v. g. sanitas acquirenda, est causa aut medicinæ, aut deambulationis. Præterea verò si effectus est quid compositum ex partibus, habet illas partes, tanquam sui causas intrinsecas, à quibus* esse *accipit. Ita corporis naturalis causæ intrinsecæ dicuntur materia prima, & forma substantialis. Atque hoc quidem pacto materia prima dicitur principium, ex quo subinexistente fit corpus naturale. Forma autem, est principium ex quo inexistente fit corpus naturale, & constituitur in esse talis speciei completæ.*

Notandumque *est* 3. *Quatuor tantùm ista esse causarum genera; nempe causa efficiens, finalis, materialis, & formalis. Nam quæ dicitur causa* Idealis *seu* exemplaris, *estque imago rei efficiendæ residens in mente artificis, revocatur ad causam efficientem, quia sic concurrit ad operis effectionem, potentiam effectricem dirigendo. Item*

Not. 4. Ex *illis causis, materiam & formam solas esse intrinsecas, quæ scilicet ingrediantur effectum, ut partes ipsius constitutivæ. At efficiens & finalis non ita ingrediuntur effectum, sed potiùs extra sunt, quamobrem vocantur causæ extrinsecæ. Item*

Not. 5. *Necessariam esse connexionem inter causam materialem & formalem, siquidem causare totum non possunt sine mutuâ ad invicem communicatione; quod etiam ultimâ disputatione ostendetur de causâ efficiente & finali. At præterea*

Not. 6. *Hæc distinguenda esse in omni causâ; nempe entitatem ipsius causæ; tum virtutem causandi, conditiones ad causandum actu, ac denique ipsam causalitatem. Entitas causæ, est res ipsa quæ dat esse alteri. Virtus causandi, est ratio unde res potest dare esse alteri; ut in igne, vis productiva alterius ignis; & sic de aliis agentibus. In fine virtus*

cau-

causandi est bonitas per quam movet ad sui prosecutionem. In materiâ, est ratio potentiæ passivæ, unde formam in se recipiat. In formâ, est ratio actus, unde materiam actuare possit. Conditio, est id sine quo causa suam causalitatem exercere non potest, et si in illam causalitatem nihil influat. Sic præsentia intima est conditio sine quâ forma non informat materiam. Ita in causâ efficiente conditiones ad agendum, sunt distinctio agentis & passi; tum dissimilitudo, indistantia, proportio majoris inæqualitatis seu excessus virtutis activæ supra resistentiam passi, &c. Quæ Disputatione quintâ exponentur.

Causalitas est id quo posito, causa intelligitur causans actu: Vel si lubet; est influxus actualis in rem causatam. Sic actio, *est causalitas causæ agentis; sic in fine, est* finalizatio; *in materiâ* materializatio; *in formâ* informatio. *Quare duobus modis considerari potest causa omnis. Primò, quatenus causare potest; tumque appellatur* causa in actu primo. *At 2. Si consideratur quatenus actu causat, dicitur* causa in actu secundo.

Notandumque est 7. Rem eandem posse diverso respectu diversas exercere causalitates. Sic enim eadem anima respectu materiæ & compositi habet rationem causæ formalis; respectu suarum facultatum & actuum immanentium, est causa subjectiva seu materialis: est autem effectiva respectu actuum illorum quos producit; ac denique est finis generationis. Item

Not. 8. *Causam omnem esse naturâ priorem suo effectu. Quemadmodum verò illud sit intelligendum, habetur in Metaph.* Tract. 1. Disp. 2. c. 2.

Not. 9. *Causarum omnium perfectissimam esse efficientem. Est enim principium unde res est, nec de se ullam involvit imperfectionem; ideoque hac ratio causæ Deo maximè convenit.*

DISPV-

DISPVTATIO I.

De Natura & Divisionibus, seu multiplicitate causæ efficientis.

CAP. I. *Natura causæ efficientis.*

DIco I. Causa efficiens, est principium unde res est, seu à quo procedit effectus. Sic enim differt ab aliis causarum generibus; quod supra jam ajebam.

Dico autem II. Causas creatas ac naturales per virtutem sibi intrinsecam verè ac physicè producere effectus. Contra nonnullos qui docuere, non creaturas, sed Deum ipsum tantummodo ad præsentiam creaturarum producere illos effectus. *Prob.* 1. Ex doctrinâ Fidei passim in sacris literis, ubi sol *v. g.* dicitur lucere, Terra germinare herbam, &c. Eosque damnat Tridentinum, qui dicunt voluntatem humanam non agere, sed habere se merè passivè. Certè non posset alioquin explicari quemadmodum intelligeret, mereretur, peccaretve homo, &c. quæ Christianæ Fidei repugnant. *Prob.* 2. Experientiâ, & ratione naturali. Videmus enim à sole illuminari mundum; ab igne produci tum calorem, tum ignem; ab equo equum: experimur nobis inesse visionem, loquelam, & cætera id genus. Item, nisi agerent ipsæ causæ naturales, non posset cognosci rei ullius natura per effectus, aut discrimen viventis à non vivente, quod deprehenditur solùm ex proprio operandi modo. Neque verò etiam, quòd objiciunt, frustra esset illa operandi virtus in rebus creatis, cùm Deus de se ad rerum omnium productionem sufficiat, illudque ex communi sententiâ,

tentiâ, de facto præstet per universalem concursum simultaneum. *Contra enim est*, Divinæ gloriæ plurimùm servit agendi vis illa rerum naturalium; siquidem hoc pacto nobis manifestantur variæ Dei perfectiones à creaturis participatæ; ut bonitas & potentia.

Notandumque est, pari modo confutari Themistii, Avicennæ, & aliorum deliria, ubi supponunt dari certam aliquam substantiam spiritualem, quam Colchodeam seu datricem formarum appellant, à quâ formæ substantiales in materiam ab agentibus naturalibus dispositam inducantur. Ab iis autem differunt Platonici, quòd singulis speciebus singulas ejusmodi formarum causas universales, quas dicunt Ideas, adscribant.

CAP. II. *Causæ efficientis variæ divisiones.*

D*ividitur* I. In Increatam, & creatam. Increata est Deus, qui & *causa prima* nuncupatur. Nam creatæ omnes ideo dicuntur causæ secundæ, quia Deo tanquam supremo rerum omnium principio subordinantur, à quo etiam tum esse, tum operandi virtutem hauriunt.

Dividitur II. In universalem, & particularem. Vniversalis, superior est ad aliquas saltem particulares, ad earum proprios effectus concurrendo. Sic Deus, sic etiam sol dicitur cum equo concurrere ad productionem equi; cum igne, ad productionem ignis, &c. Causa particularis, est ea quæ certos quosdam effectus propriæ virtuti respondentes, sola per se attingit, non autem cum aliis causis subordinatis. Ita sol ipse dicitur producere lumen suum ut causa particularis; ita & ranam, quando se solo, non concurrendo cum aliâ ranâ, in illius generationem influit. *Divi-*

Dividitur III. In univocam, & æquivocam. Vnivoca, est quæ attingit effectus ejusdem secum naturæ, & speciei; qualis est equus respectu equi; vel ignis respectu ignis. Causa autem æquivoca, est diversæ naturæ à suis effectibus. Ita Deus; ita sol, est causa æquivoca respectu omnium suorum effectuum.

Dividitur IV. In causam necessariam, & liberam. Necessaria est quæ positis omnibus requisitis ad agendum, non potest non agere. Quod iis omnibus competit quæ non agunt ex cognitione & libero arbitrio. Nam causa libera est quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere aut non agere, qualis est voluntas libera. *Vide quæ in Morali de natura hujus libertatis prosecuti sumus.*

Dividitur V. In Physicam & Moralem. Physica est quæ per suam agendi virtutem naturalem attingit effectum. Vt Petrus loquens, currens, disputans, alium percutiens, &c. Causa autem moralis dicitur ea, quæ vel orando, vel imperando, vel consulendo movet causam physicè effectivam ad præstandum effectum; quamobrem illi imputatur effectus.

Notandumque est, causam physicam seu naturalem sumi non modò prout opponitur aut morali, aut liberæ, de quibus proximè ajebam; sed etiam prout opponitur tum artificiali, tum obedientiali & supernaturaliter elevatæ. Quare ut in istâ causæ efficientis divisione pergamus:

Dividitur VI. In naturalem, & artificialem. Artificialis, est ea quæ agit ex ideâ operis faciendi, & juxta præcepta quædam. Naturalis autem agit sine hujusmodi cognitione, aut ideâ. Vt quando sol producit effectus suos, ignis calorem, oculus visionem, &c.

Notan-

Notandumque est 1. Brutas animantes, purà, hirundinem in ædificando nido; apes, formicas, &c. idcirco non operari propriè ex arte, sed potiùs ex solo instinctu; quia non agunt ex præceptis, &c. Item

Not. 2. Artem ad opera naturæ posse concurrere applicando activa cum passivis. Sic enim Agricultura stercorando & vertendo agros, ad uberiorem fructuum generationem; sic Chymica ad metallorum transmutationem concurrit; sic Dæmones plerumque, ex pacto cùm magis pluviam, grandinem & tonitrua excitant, serpentes, ranas, aliáque id genus procreant, applicando activa passivis.

Dividitur VII. In naturalem, supernaturalem & obedientialem. *Naturalis* est ad effectus ordinis duntaxat naturalis, neque ad agendum requirit alium Dei concursum, quàm generalem sibi debitum. Ea autem solet vocari potentia *supernaturalis*, quæ cùm in entitate sit ordinis supernaturalis, respicit per se quosdam effectus supernaturales, quos cum solo Dei concursu generali sibi debito potest producere. Quomodo *v.g.* lumen gloriæ concurrit ad visionem beatificam. At *potentia obedientialis* dicitur ea, per quam res creata, quatenus Dei voluntati subdita est, potest aliquid supra naturalem suam vim ac virtutem agere, aut pati. Duplex enim est, ac primò quidem *passiva*, per quam res in se recipit formam diversi ordinis, purà in entitate supernaturalem, cùm sit ipsa naturalis; ut quando anima recipit gratiam sanctificantem: vel ejusdem ordinis, non tamen ab agente naturali per vim activam naturalem operante. *Activa*, de quâ præcipuè hîc sermo est, dicitur vis agendi per quam res creata,

ut subdita est Deo, potest volente ipso, & quasi imperante, attingere effectus supra vim propriam, ac sibi connaturalem. Quomodo *Sap.* 16. tam multa narrantur facta per elementa supra eorum vim naturalem. Sic manna quemlibet reddebat saporem; sic virga emisit flores. Sic ignis inferorum verè ac physicè cruciat Dæmones, ut exposuimus in Metaph. *Disput. De Angelis c.* 2. Sic denique intellectus beatificus elicit visionem Dei in entitate supernaturalem, non per aliquam sibi naturalem virtutem; ergo per *potentiam obedientialem*, quæ lumine gloriæ ipsi superaddito compleatur *eleveturque*.

Notabis enim 1. Visionem beatificam, cùm sit actus vitalis, efficienter prodire etiam ab intellectu, non autem à solo gloriæ lumine per quod elevatur ipse intellectus. Item, de facto

Not. 2. Eâ in re quæ ad agendum physicè elevetur, necessariò præsupponi vim aliquam inchoatam saltem, atque imperfectam, per quam influat in effectum supernaturalem, eo ferè per proportionem modo, quo virtus debilis adjuta per potentiorem, tollit pondus ipsi longè impar. Quanquam hoc loco discrimen afferri debet, quòd concursus causæ aliam supra vires proprias & connaturales *elevantis*, est supernaturalis ipsi causæ elevatæ, nec elevari aut compleri potest per solas causas naturales. Iam verò probatur necessitas virtutis illius, saltem inchoatæ, in causa elevabili. Primò. Quia nulla res agit, nisi prout est activa; id est, prout habet vim agendi in ordine ad effectum. Item actio supponit non tantùm agens existere, sed habere & vim agendi. Nam sicut id quod non existit, non potest elevari ad agendum, ita nec illud

illud quod vim agendi nullam habet. Quinetiam alioqui diceretur solus Deus agere ad ipsius rei præsentiam, non autem res ipsa; quæ proinde solùm hoc pacto diceretur causa *moralis*, non autem *physica* illius effectus. Sicque ajebamus modò, intellectum beatificum lumine gloriæ adjutum, influere effectivè in visionem beatificam. Quod per proportionem æstimandum est de aliis tum ipsius intellectus, tum voluntatis actibus supernaturalibus, ut supernaturales sunt; quemadmodum docetur in Trident *seß. 6. Can. 4.* traditurque apud Suarem *Tom. 1. in 3. p. Disp. 31. sect. 6.*

Notandumque est 3. Potentiam illam obedientialem esse idem realiter cum entitate causæ creatæ; vimque habere tam debilem, & tam exilem influxum tribuere, ut ad effectus productionem indigeat vel qualitate aliquâ superioris ordinis ipsi additâ; quo pacto intellectus per lumen gloriæ disponitur ad visionem beatificam; vel saltem indiget concursu Dei simultaneo speciali & uberiori supplente vices illius qualitatis superadditæ.

Notabis enim 4. Ex communi sententiâ contra Thomistas apud Mæratium *Tract. de Deo, Disp.* 12. posse in eo casu intellectum, aut quamlibet aliam facultatem elevari per solam Dei extrinsecam assistentiam, seu concursum specialem simultaneum. Sic enim Deus potest supplere concursum virtutis cujuscunque creatæ non vitalis; siquidem potest per seipsum immediatè illud efficere, quod facit per causas creatas, quarum vim activam omnem in se continet. Excipiebam autem influxum potentiæ vitalis, quia de se tantùm est à potentiâ vitali, ut explicatur in Tract. de Animâ. Et verò juxta com-

communem Theologorum doctrinam, sic de facto supplet concursum habituum supernaturalium fidei, & charitatis, dum primi earum virtutum actus eliciuntur; aut quoties istorum actuum aliquis intensior habitu exercetur. At contra existentiam potentiæ obedientialis illius quam hîc supponimus.

Objic. Sequeretur in entibus naturalibus esse partialem aliquam vim activam, & quidem naturaliter congenitam, ad actus supernaturales. Atqui consequens est Pelagianum; sic enim aliquid tribueretur naturæ in ordine ad supernaturalia. *Dist. Ma.* Partialem vim aliquam naturaliter congenitam, *ipsamque naturalem*. N. *Obedientialem*, eamque imperfectam & incompletam, unde res potiùs dicatur *elevabilis*, & tantùm remotè potens influere in actus supernaturales. *C.* Nec tutò in Fide negaretur, inquit Suarez, *loco citato.* Quia sicut de fide est *v.g.* intellectum & voluntatem solis naturæ viribus, & ex concursu duntaxat generali non posse actus supernaturales exercere; ita etiam Divinâ Fide certum est, posse illud præstare, ubi juvantur auxilio supernaturali.

Inst. 1. Sequeretur ejusmodi potentiam obedientialem rebus creatis ingenitam, esse supernaturalem. Quia virtus proximè activa est ejusdem ordinis cum suo effectu, & ab eo specificatur. Ergo si effectus est supernaturalis, erit quoque & vis illius activa supernaturalis. Atqui repugnat rebus naturalibus innatam esse virtutem supernaturalem: quia supernaturale dicitur id quod est supra omnem naturam. Ita vulgò Thomistæ contra Suarem, aliosque recentiores. ℞. Cum Mæratio *Tract. de Sacram. Disp.* 4. *sect.* 9. Potentiam illam obedientialem

nec

nec dici naturalem, nec supernaturalem, sed *innatam*, seu *congenitam*, quia concreata est rei cui inest, siquidem ab ejus entitate non distinguitur: quomodo per proportionem ab entitate *v. g.* caloris non distinguitur virtus tam multiplex, ad tam diversos effectus aut substantiales, aut accidentales, quos tanquam instrumentum potest producere, prout diversis formarum substantialium generibus conjungitur. Illius autem discrimen à causâ naturali & supernaturali habes ex dictis initio hujus capitis; maximè verò ex eo quòd ut agat, requirit semper simul aut agens in entitate supernaturale à quo adjuvetur, quale est lumen gloriæ in intellectu, ad Dei visionem; aut saltem exigit concursum uberiorem sibi non debitum, unde compleatur ad agendum.

Inst. 2. Potentia illa obedientialis esset actu infinita, quia esset ad omne producibile, sicque haberet idem objectum cum omnipotentiâ Divinâ, cujus ad nutum *obedit*. ℞. Non posse rem quamlibet elevari ad quidlibet, aut per modum subjecti in se illud recipiendum; quomodo Angelus *v. g.* dealbari non potest, aut quantitatem in se recipere, per quam efficiatur formaliter divisibilis in partes, cùm ex naturâ suâ sit indivisibilis. Item, nec potest elevari ad producendum quidlibet: sic enim vulgò ajunt, nec auditum ad percipiendos colores, nec visum ad percipiendos sonos esse elevabilem, &c. Item etiam Theologi docent *in 1. part. D. Thomæ*, esse aut de fide, aut saltem fidei proximum, non posse oculum corporeum elevari ad visionem Dei ut in se est. Quo pacto etiam brutum elevari non potest ad ratiocinandum, aut ad agendum liberè, unde

visionem Dei promereri & obtinere queat. Per se enim repugnat, ut res materialis vivat vitâ spirituali, &c.

CAP. III, *Aliæ Divisiones causæ efficientis.*

EX causis aliæ sunt ejusdem generis, quales sunt vel materiales inter se comparatæ, vel formales, vel efficientes, &c. Sed inter causas ejusdem generis, putà inter efficientes, reperiuntur diversi ordines; siquidem ex istis aliæ sunt *particulares*, aliæ *universales*. Item, aliæ sunt *totales*; aliæ *partiales*. Item, ex iis aliæ dicuntur *principales*; aliæ autem *instrumentales*. Dixi jam de causâ universali & particulari. Superest ut explicemus naturam totalis & partialis; tum agemus de principali & instrumentali; quibus subjungam divisionem in *causam per se*, & *per accidens*; ubi & *De Fato*.

Dico igitur I. Causa totalis ea est, à quâ in tali ordine pendet effectus secundùm totam suam perfectionem; seu quæ in suo ordine sufficiens est ad producendum talem effectum, & sub tali perfectione. Sic candela *A*, quæ sola lucet, dicitur esse totalis causa luminis illius quo spatium istud collustratur. At si per accessionem candelæ alterius ponat in eadem parte medii effectum intensiorem, quàm possit sola & seorsim producere; tunc dicitur esse tantùm *causa partialis*; pluresque illæ causæ ejusdem ordinis, putà plures candelæ simul junctæ ad producendum effectum intensiorem, & ad majorem distantiam, dicuntur causæ partiales conflantes unam *totalem*. Dixi *ejusdem ordinis*. Nam quæ est causa superior & universalis, cui scilicet partiales illæ subordinantur, ea censetur totalis in suo genere, nec dicitur

cum istis concurrere partialiter, seu instar causæ partialis.

Dico II. Causa principalis ea est, quæ agit per propriam virtutem, & effectui proportionatam. Vt ignis producens ignem, aut calorem; qui effectus non sunt perfectionis majoris, quàm quæ est ignis propria. Contrà autem instrumentum, seu causa instrumentalis ea est, quæ agit tantùm per subordinationem ad causam principalem, aut in virtute illius, nec habet effectus nisi illi causæ principali per se proportionatos. Quare instrumentum vulgò dicitur elevari à causa principali per *motionem*, quam ab ipsâ, vel dependenter ab ipsâ recipiat. At motio illa vel est virtus activa, ut quando aqua calefacit per calorem ab igne derivatum; vel est motus localis, per quem ad agendum applicatur; ut quando pictor utitur penicillo ad pingendum. Quamobrem duplex est genus instrumenti. Aliud quidem *activum* quod accipit qualitatem activam: aliud autem *purè motum*, quia nihil accipit præter motum localem, nec tam est activum, quàm id quo agit causa principalis, istudque propriè est *instrumentum artis*; ut calamus quo scribo. Alia autem solent dici *instrumenta naturalia*; quæ quidem habent vim activam instrumentariam, vel secum natam, ut semen quod est instrumentum arboris ad aliam arborem producendam: vel certè ad illam activitatem concurrunt tantùm passivè & materialiter, ut quando aqua recepto calore fit instrumentum ignis ad calefaciendum. Quinetiam ejusmodi instrumenta vel sunt *conjuncta*, vel *separata*. Illud dicitur *conjunctum* instrumentum, quod non agit nisi actu conjunctum causæ principali, & ab eâ motum actu; ut penicillus,

Separatum verò illud est, quod non eget actuali concursu causæ principalis ad hoc ut agat actu. Sic enim aqua calida calefacit absente igne; ita semen arboris aliam producit arborem, &c.

Notabis igitur ex dictis primò, pro diversitate causarum principalium diversa esse genera instrumentorum; quâ ratione ajebamus modò, alia esse instrumenta *physica* seu *naturalia*; alia autem instrumenta *artis*. Itèm, alia sunt propria agentium intellectualium: quo pacto doctor locutione utitur tanquam instrumento, ad informandum discipuli animum, phantasmata & conceptus idoneos excitando, unde rem ex scientiâ comprehendat.

Item, alia dicuntur instrumenta *Moralia*; cujusmodi est ille homo per quem alius imperat, prohibet, orat, &c. Ita legatus acceptâ authoritate à Rege, dicitur illius instrumentum morale.

Specialem verò habent rationem instrumenta potentiæ Divinæ; ubi nimirum creaturis utitur Deus ad effectus producendos qui vim earum naturalem superent. Nam ignis *v. g.* per potentiam obedientialem supernaturaliter elevatam, est Dei instrumentum ad captivandos, tum etiam ad comburendos Dæmones. Ita sunt à Christo Domino instituta Sacramenta, tanquam causæ instrumentales ad producendam in nobis gratiam sanctificantem.

Notabis enim eam esse vim Sacramentorum Legis Christianæ, ut gratiam illam conferant, etiam independenter ab *opere operantis*; id est, independenter à merito vel administrantis Sacramentum, vel illud suscipientis; modò non ponat obicem; sed potiùs illam conferunt *ex opere operato*, id est, vi operis externi, quod ritè,

&

& juxta institutionem Divinam applicatur, seu hoc ipso quòd debitè applicetur. Item,

Not. 2. Sacramenta sic dici causas morales illius gratiæ, quatenus pro institutione Christi, Deum movent ut de facto gratiam infundat. Quanquam & physicè quoque produci gratiam per ipsa Sacramenta supernaturaliter elevata, Theologi non pauci, cum Thomistis docent.

Not. 3. Ad rationem Divini instrumenti physicè activi, pertinere potentiam obedientialem, quæ ad effectus supra naturam ipsius creaturæ producendos elevatur à Deo, saltem per concursum uberiorem, uti ajebamus. Quanquam

Not. 4. Non omne quod agit per virtutem obedientialem & supernaturaliter, idcirco habere tantùm rationem propriè dicti instrumenti. Sic enim *v. g.* intellectus beatificus per lumen gloriæ elevatus, est causa principalis partialis respectu visionis beatificæ; quia quatenus est intellectio, suam habet cum intellectu proportionem, &c.

Not. autem V. Contra Thomistas, instrumentum per se non habere aliquam actionem sibi propriam antecedenter ad eam, quam exercet in virtute causæ principalis. Neque enim *v. g.* calamus præviam aliquam operationem habet ad scriptionem, aut serra ad scissionem, aut aqua calida ad calefactionem; neque verò etiam in iis ullo modo est realiter duplex actio. Confir. maximè in instrumentis agentis Divini, ut per se patet.

Objic. Nulla esset ratio cur *v. g.* serra diceretur instrumentum fabri, neque ad hoc elevari posset, nisi propriam haberet actionem, nempe *scissionem* proportionatam effectui artis

fabrilis : & sic de aliis. ℞. Serram non scindere nisi ut motam à fabro, ac proinde *scissionem* illam esse effectum causæ principalis, cui simul consequens est forma operis artefacti, puta cathedræ. Etsi autem in iis artis instrumentis requiratur certa dispositio, unde reddantur idonea ad proprios artis effectus; non ideo requiritur actio distincta ab actione causæ principalis, ipsique prævia, nisi aliquando, & per accidens.

Inst. Sequeretur instrumentum de se non esse activum formaliter; sed habere se tantùm merè passivè, actionem causæ principalis quasi transmittendo ad effectum; cùm tamen instrumentum sit causa verè & propriè effectiva. ℞. Sic serram *v. g.* esse quidem causam propriè effectivam, sed actione causæ principalis ipsi appropriatâ; Item, aqua calida, sic dicitur propriè calefacere per virtutem aliunde ipsi communicatam, &c.

Dico IV. Causa per se, est ea quæ per vim sibi propriam, & ex instituto naturali, attingit effectum. Ita sol per se lucem producit, ignis calorem. Sic architectus ut architectus per se ædificat. Contrà autem, causa per accidens, nec vi propriâ quatenus talis est, nec proprio ex instituto attingit effectum. Sic aqua calida, per accidens duntaxat calefacit. Sic architecto per accidens est canere, aut pingere tabellam; uti & musico ædificare. At

Not. 1. Duplex est genus causæ per accidens. Primò enim alia est per accidens ex parte causæ ipsius; ut in allatis exemplis; quando nimirum effectus non est ex proprio causæ instituto. 2. Alia est per accidens ex parte effectus; quando effectui vel naturali, vel per se intento,

alius

alius effectus adjungitur, aut qui sit præter agentis intentionem, aut qui nullam cum illo habeat connexionem. Cujusmodi quidem effectus dicuntur vel *casuales*, vel *fortuiti*: quia eorum causa dicitur vel *casus*, vel *fortuna*: differuntque in eo, quòd effectus fortuiti sint tantùm ab agentibus intellectualibus, quatenus operantur ex intentione & prævisione. Sicque inventio thesauri, quæ terram vertenti in ordine ad faciendam sementem, contigit, vocatur *fortuita*, facitque illum agricolam *fortunatum*; quia præter ipsius prævisionem & intentionem evenit. Cum autem lapis *v. g.* pro suâ naturali gravitate decidens, prætereuntem lædit; illa læsio dicitur effectus casualis; quia non est à causâ agente ex intentione finis alicujus.

Notandumque est consequenter, nihil respectu Dei posse contingere casu, aut fortuitò. Quia nihil fieri potest præter illius prævisionem, tum præter illius intentionem, aut permissionem. Item viris sapientibus pauca fortuitò contingunt: cùm soleant agere ex prudentiâ & consilio, futuros eventus penè omnes prævidendo: quamobrem vix illud dictum usurpant, *non putabam.*

Not. 3. Ad effectus casuales revocari monstra, nempe effectus naturales illi, qui à rectâ & solitâ secundùm speciem dispositione deficiunt: puta si homo nasceretur biceps, &c. quæ in Tractatu de generatione corporis animati explicantur.

Dico IV. Fatum, secundùm rei veritatem, aliud nihil est quàm dispositio causarum omnium secundarum in ordine ad suos effectus, prout subest liberæ Dei providentiæ. Vel si lubet: ipsa est libera Dei providentia prout mun-

dum universum administrat, causas secundas disponens certos ad effectus, necessarias quidem determinando, liberis autem concursum indifferentem atque indeterminatum præbendo, ut singula suis propriis nutibus, ac propriæ naturæ permittantur. Quare

Notandum est, rationem *fati* secundùm veteres Stoïcos aliosque id genus philosophos, rejiciendam esse à Christianis, cùm libertatem omnem destruat. Ajebant enim *fatum* quo regerentur universa, esse necessitatem quandam tum Deo, tum rebus aliis omnibus impositam, quam subire cogerentur. Quanquam alii Deum ab illa fatali necessitate eximebant; cætera autem vel certæ cuidam æternæ legi, vel astrorum influxibus ita subjiciebant, ut nequidem voluntas humana ulla resistere ipsis posset. Sed rectè monet D. August. 5. De Civit. Dei. *Si quis virtutem, vel potentiam Dei, nomine* fati *appellat; sententiam teneat, linguam corrigat.* Id est, rectè quidem sentit, sed eam potius nominet Divinam providentiam; non autem fatalem necessitatem.

DISPVTATIO II.

Causæ efficientis Causalitas, seu Actio.

CAP. I. *Actionis natura, & divisiones.*

VT causa efficiens dicitur esse in actu primo, quatenus intelligitur habere virtutem causandi, seu inferendi effectus; ita & dicitur efficiens in actu secundo, prout de facto infert effectum; quo pacto etiam dicitur agens actu, seu habere actionem actu, cùm

actio

actio sit propria causalitas causæ efficientis, quâ positâ intelligatur causare actu.

Dico autem I. Actio est actualis influxus causæ in effectum. Vel si lubet; est exitus, seu processio effectus ipsius à causâ; unde & causa denominatur actu agens. At

Dico II. Actio specificatur à termino, id est, ab effectu producto. Actio enim est essentialiter connotativa termini sui, nec proinde causam denominat agentem actu nisi posito effectu in fieri. Mirum igitur non est si specificetur ab illo termino; id est, quod dicatur esse talis actio, quia est ad talem terminum. Ita quæ est ad formam equi in fieri, vocatur generatio equina; quæ est ad calorem, calefactio; ad lumen, illuminatio; & sic de aliis. Sic illa dicitur actio *naturalis*, cum effectus producitur viâ naturali; alioquin diceretur actio *supernaturalis*.

Notandumque est obiter hîc interdum fieri æquivocationem. Nam aliquando actio sumitur pro ipsa re quæ efficitur; cùm propriè actio dicatur esse processio effectus à causa. Porrò hac positâ observatione,

Dico III. Multiplicem esse actionis divisionem. Primò enim est actio substantialis, quando producitur aliqua substantia. Sed actio substantialis, vel est creatio, quando substantia producitur ex nihilo subjecti. Vel est eductio seu generatio naturalis, si producitur forma substantialis in materiâ priùs dispositâ.

2. Est actio accidentalis, quæ pro termino habet entitatem accidentalem. Hæcque est vel alterativa, si producitur qualitas alterativa, ut calor, per quem scilicet disponitur subjectum ad aliquam transmutationem substantialem. Vel

est tantùm actio perfectiva, ut illuminatio. Item, alia dicitur actio artificialis, ubi figura, vel opus aliquod ex præceptis artis efficitur. Item alia est actio prudentiæ, &c.

Item ex modo rei producendæ, alia est actio quæ dicitur successiva, quando effectus non simul totus, sed per partes post partes producitur, ut motus. Alia est actio instantanea, quando totus simul existit; ut illuminatio, visio, intellectio.

Item, alia est actio quæ vocatur transiens, quando effectus producitur ad extra; id est, non in ipsâ causâ recipitur: ut quando creatur mundus à Deo: quando ignis producitur ab igne, &c. Alia verò est actio immanens; ubi effectus producitur tantùm ad intra; id est, in ipsâ causâ. Vt cùm oculus elicit visionem, aut intellectus intellectionem, quam in seipso recipit.

Notandum verò est, actionem immanentem dividi in eam quæ dicitur fieri cum transmutatione subjecti, ideoque propriè appellatur actio, terminaturque ad propriè dictum effectum; ut intellectio, aut visio: nam visio producitur in oculo, cùm priùs, quantùm est ex se, in eo non existeret. Et sic transitur à non *esse* visionis, ad *esse* illius visionis. Verùm alia est actio immanens, quæ de se non est cum ejusmodi transmutatione; neque illius terminus propriè dicitur *effectus*; hæcque appellatur *emanatio*. Vt emanatio caloris in igne: quia ignis, quantùm est ex se, non est unquam sub privatione caloris; quomodo neque aqua, neque res alia, quantùm est ex se existit unquam sub privatione suæ proprietatis; simul enim ac res est, suam emanat proprietatem; & consequen-

ter

ter illam non recipit cum sui transmutatione. Item, processio in Divinis dicitur emanatio, non autem propriè actio, neque illius terminus propriè est effectus.

Præterea tandem actio omnis dividitur in activam, & passivam. Passiva est in effectu, per quam denominatur agi, seu produci. Quam Arist. 3. Phys. definit *actum hujus* (nimirum *effectus*) *ut ab hoc*, id est, *agente*. Cùm è contra dicat passionem *esse actum hujus*, id est, *agentis, in hoc*, videlicet, *passo*. Neque verò, ut inquit, repugnat actum alterius esse in altero, sicut doctio, quæ est actus docentis, est in docente: ubi sermo est de actione passivâ, seu terminativè sumptâ; sicque ait D. Th. esse actum agentis, non quidem quo perficiatur, sed quo perficiat. Eamque tradunt, ex eodem Aristotele, non magis distingui à passione, quàm distinguatur via Athenis Thebas, & Thebis Athenas. Iam verò

Dico IV. Actio activa est intrinsecè in ipsâ causâ, per quam denominetur agens actu, seu inferens effectum, ipsique esse communicans. Sic Arist. lib. de somno & vigilia, *ibi est actus*, inquit, *cujus est potentia.* Prob. Vt enim *agi*, seu *produci* habet se ex parte effectus, ita & *agere*, & consequenter *actio activè*, *seu causaliter sumpta*, se habet ex parte causæ. Item, in eo est actio, in quo est relatio causæ ad effectum; quia relatio fundatur in actione: sed relatio causæ ad effectum est in ipsâ causâ: ergo & actio, quam activam, seu causaliter sumptam nominamus. Confir. ex proportione ad productiones Divinas immanentes. Sic enim in Patre est productio seu generatio activa, unde intelligitur generare Filium; quomodo se habet ex parte Filii generatio passiva per quam intelligitur generari.

Objic. Illa omnis actio diceretur immanens, quia semper est in causâ. ℞. Ex eo tantùm dicitur immanens, aut transiens, quòd terminus ipsius producatur vel ad intrà, vel ad extrà, ut vulgò loquuntur.

Inst. Esset in ipso Deo actio per quam denominatur creans mundum: ergo per eam denominaretur necessariò creans, & quidem ab æterno; quia nihil est in Deo, quod non sit necessariò, & ab æterno; immò quod non sit ipse Deus, &c. ℞. Deum quidem hoc modo esse suam actionem, & in eo existere necessariò quoad entitatem, non tamen quoad denominationem. Cùm enim actio sit essentialiter connotativa sui termini, habeatque cum illo connexionem necessariam, non denominat subjectum suum agens actu, nisi ubi actu infertur effectus; sicque actio creativa non est denominativè in Deo, nisi in tempore quo creatur mundus actu.

Notabis tandem, *actioni* oppositam esse *passionem*, quæ est receptio formæ productæ in subjecto, seu receptio τȣ̃ *esse* in re productâ. Sic enim effectus dicitur recipere esse à causâ, à quâ producitur. Atque ista quidem passio dicitur indistincta realiter ab actione, passivè sumptâ, per quam effectus dicitur *agi*, seu *produci*.

CAP. II. *Actionis indistinctio.*

DIco I. Actio activa à causa; tum passiva ab effectu distinguitur saltem formaliter. Sic enim est formalitas quæ saltem definitione, & conceptu formali ab iis distinguitur. At

Dico II. Non distinguitur ullo modo realiter. Sic Arist. quando 5. *Metaph.* scribit eam aliâ ratione non esse mediam inter agens & patiens, quàm *habitio* vestimenti inter vestimentum

tum & personam vestitam. Cujusmodi medium nolunt ipsi adversarii esse aliquid realiter distinctum. Ergo à pari actio. Conf. Quia non unicus, sed duo modi actionis realiter distincti admitti deberent, cùm supponamus tam esse actionem in agente, quàm in effectu; quod nolunt adversarii. Item, causalitates aliarum causarum, ut informatio à formâ, non distinguuntur: ergo à pari neque actio. Confir. 2. Quia frustra esset illa distinctio realis, cùm effectus tam seipso immediatè ab ipsâ causâ possit procedere, quam actionis modus aliquis realiter distinctus. Nec actio activa est aliud quàm positio ipsius effectus; quomodo passiva est ejusdem effectus processio à causâ. Item, ille actionis modus non est ens improductum; ergo si in creatis, id quod ab alio producitur, exigit de se produci mediante aliquo actionis modo, modus iste actionis produci debebit mediante alio actionis modo realiter distincto; & sic fiet processus in infinitum. *Respondent*, actionem esse per seipsam formaliter actionem, & produci tantùm *ut quo*; quamobrem non habet parem cum aliis effectibus rationem. *Contrà est*. Nam quanvis seipsâ formaliter sit talis, quomodo calor seipso formaliter est calor, hoc non impedit quominus sit efficienter ab alio. Item, est terminus *ut quod* actionis, quia est aliquid quod producatur formaliter.

Objic. Actio vulgò dicitur *via, tendentia*, & *medium* ad effectum. Sed hæc distinguuntur realiter, quomodo via Thebis Athenas distinguitur realiter ab utroque illo extremo. ℞. Actionem non ita appellari nisi per metaphoram, & juxta nostrum concipiendi, aut imaginandi modum. Nam etiam Theologi nomine *Via* utuntur ad explicandas processiones Divinas; cùm tamen

propriè loquendo non sint nisi emanatio unius ab alio, vel activa, vel passiva.

Inst. 1. Illa distinguuntur realiter quæ possunt esse sine invicem: atqui causa potest esse sine actione, tunc scilicet ubi non causat actu: ergo. *Dist. Ma.* Quæ possunt esse sine invicem entitativè, seu realiter, & non tantùm denominativè. *C.* Atqui denominativè tantùm causa potest esse sine actione, defectu connotati, seu effectus in fieri.

Inst. 2. Fieri posset vel in causâ, vel in effectu ipso, transitus de contradictorio in contradictorium sine mutatione. Nam ex hypothesi quod *v. g.* lumen à sole productum, sole ipso præsente, conservetur à Deo solo; tunc explicari non poterit quo pacto à sole influxum sui conservativum non recipiat, nisi dixeris in eo casu impediri aut destrui *actionem* solis præsentis; unde consequenter inferatur dari actionem realiter distinctam ejusmodi, per quam sol influat, seu per quam determinetur ad influendum in hoc numero lumen. ℞. Tunc lumen accipere à Deo modum essendi, sub quo non potest conservari, aut accipere influxum à tali agente. De quo essendi modo jam suprà ex Metaphysicâ, *Tract.* 1. *Disput.* 3. *cap.* 4.

D I-

DISPVTATIO III.

DEPENDENTIA CAVSÆ CREATÆ AB INCREATA.

CAP. I. *De Creatione.*

NVlla res extra Deum potest existere, nisi vel creetur à Deo; vel saltem nisi immediatè procedat à Deo concurrente cum causâ creatâ. Sic enim causa creata nullum effectum potest attingere, nisi juvante Deo per concursum simultaneum, aut etiam prævium; tum denique, nisi præterea per eundem concursum determinetur effectus in individuo. Quæ quidem ut singulis capitibus prosequar,

Dico I. Nihil unquam fuisse creatum, nisi à Deo. Est autem hîc sermo tantùm de creatione propriè sumptâ. Hoc fides Christiana docet ex Conc. Nicæno & Lateranensi. *Tu creasti omnia*. Apoc. 4. Item, ad Heb. 4. *Qui creavit omnia, Deus est*. Quinetiam

Dico II. Nullam ex creaturis non modò non creasse quidquam, sed neque habuisse vim connaturalem ad creandum. Prob. Quia *Eccl.* 1. dicitur Deus *unus altissimus creator omnipotens*. Item, cùm nulla unquam de facto quidquam creaverit, sequitur vim ejusmodi nulli concessam fuisse. Neque enim Deus universaliter privat creaturas illis operationibus, quarum habent facultatem naturalem. Item, nullum apparet signum tantæ virtutis quæ creaturis concessa fuerit, cùm omnes agant dependenter à subjecto, quantùm quidem possumus cognitione assequi. Præterea verò

Dico

Dico III. Nulla creatura, quantumcunque perfecta, creare quidquam potest, saltem ut causa principalis, & per vires sibi connaturales. Prob. Quia in sacris literis, virtus creandi numeratur inter attributa Divina; quod ex locis jam citatis colligi potest: legiturque *Iobi c.* 12. quomodo vel ex ipso mundi ac rerum singularum conspectu, manifestè constet Deum esse omnium creatorem. Quod non esset verum, si præter Deum posset esse alius creator. Ita vulgò ex iisdem sacris literis Sancti PP. probant contra Arianos, Filium in SS. Trinitate esse verum Deum, quia creare potest, cùm solius Dei proprium sit creare. Hoc contendit D. Athan. *serm.* 3. *contra Arianos.* D. Basil. 4. *contra Eunom.* Ita D. Aug. lib. 5. *De Genesi ad literam. c.*15. scribit tam impossibile esse Angelum creare quippiam, quàm seipsum, &c. Quamobrem Gregorius à Valentiâ, aliique vulgò Theologi statuunt hanc omnino tenendam esse sententiam, ob tam gravem authoritatem, etsi rationes quæ afferri solent videantur minùs efficaces. Vnam hanc profero ex D. Th. Quæ propria est Dei actio, censeri debet omnino creaturæ incommunicabilis. Neque enim minùs est incommunicabilis creaturæ, quàm proprius essendi modus, aut propria Dei ipsius attributa alia. Atqui talis est actio creativa. *Prob.* Quia illa actio est per se Dei propria, quæ per se est omnium prima; siquidem, *ut habet D. Th.* 2. *contra Gentes c.* 21. ordini agentium debet respondere ordo actionum. Ergo quæ per se est actio omnium prima, debet respondere primo agenti, & esse ipsius propria. Creatio verò est actio de se omnium prima, quia de se nullam aliam præsupponit, & præsupponitur ad alias omnes creatura-

turarum operationes. *Prob.* Quia ut agens aut naturale, aut artificiale agat, præsupponit subjectum quod habeat esse per creationem; creatio autem nihil præsupponit, siquidem est productio effectus ex nihilo. Confirmatur argumento Vasquesii in 1. p. Disp. 175. Angelus, inquit, etsi perfectissima est creatura, non potest habere vim ad creandum; quia supponitur Angelus per se & directè non esse operativus ad extra, nisi eorum quæ spectant ad motum localem, aut res in loco continendas: hæc autem subjectum necessariò præsupponunt: ergo creare non potest; ergo vis illa tam eximia creaturis aliis communicari nequit.

Objic. 1. Satis est, ut actio dicatur esse Dei propria, quòd fiat sine subordinatione ad agens superius. *C.* Atqui si creatio aliqua foret à creaturâ, non fieret sine subordinatione ad aliud agens superius; nempe ad Deum. Vnde inferri posset creationem hujusmodi non fore actionem Dei propriam. *Dist. Min.* Ex illâ hypothesi non fieret sine subordinatione; aliunde verò absolutè & in se, cùm sit actio Dei propria, fieret sine subordinatione. Ergo simul fieret, & non fieret sine subordinatione. Quod repugnat

Objic. 2. Possunt participari à creaturâ perfectiones aliæ Divinæ, ut sapientia, bonitas, &c. *Tr.* Ergo à pari & virtus creandi. *N. Cons.* Quia perfectiones aliæ possunt communicari creaturis modo non proprio Dei, id est cum limitatione. At virtus agendi quæ Divina est, potest quidem similiter participari à creaturâ, sed non cum modo proprio Dei, nempe per creationem.

Inst. 1. Virtus finita omnis communicari potest creaturæ. *Tr.* Atqui virtus creandæ *v. g.* muscæ

muscæ alicujus, est finita; quia non est nisi ad terminum finitum, seu finitæ solùm perfectionis; neque verò etiam, quod volunt nonnulli, ens ejusmodi creatum distat infinitè à nihilo sui; quia non distat nisi per gradus perfectionis quos in se continet, qui finiti sunt. ℞. Virtutem etiam creandæ muscæ esse infinitam, quia est virtus agendi cum modo Dei proprio; hæc autem est infinita. Sicque omnis creatio exigit virtutem infinitam saltem specificativè, id est, quæ sit infinita; quanvis non reduplicativè, id est, quanvis non exigat infinitam ut infinitam, seu quæ influat in effectum modo infinito.

Inst. 2. Potest communicari vis generandi aut hominis, aut leonis. *C.* Ergo à fortiori, vis creandæ muscæ; quia creatio muscæ non est nobilior, quàm generatio hominis. ℞ Non est nobilior ratione termini producti: sed est nobilior ratione modi quo producitur.

Dico IV. Cum D. Th. nequidem instrumentaliter posse creaturæ communicari vim creandi. Quia nequidem hac ratione actio Dei propria, seu modus agendi proprius communicabilis est creaturæ. Ita modus agendi vitaliter viventium proprius, nulla ratione est communicabilis lapidi; cùm tamen illa vitalitas non sit magis viventium propria, quàm per proportionem creatio propria sit Dei.

Objic. Elevatur vox Sacerdotis tanquam instrumentum quoddam ad reproducendum corpus Christi Domini in Eucharistia, aliáque id genus quæ non sunt valdè absimilia creationi. *Tr.* Respondeo enim in communi Theologorum sententiâ, Sacerdotem esse tantum instrumentum morale illius effectus qui à solo Deo physicè perficitur. Vt explicui *Disp.* 2. *hujus Tract.c.*3.

CAP.

CAP. II. *De Conservatione.*

C*Onservatio* est actio per quam res jam accepto esse, in eo persistit; fitque istud duobus modis. 1. Indirectè: cùm scilicet removetur prohibens, aut contrarium destructivum. Quomodo ille dicitur conservare domum, qui incendium extinguit; aut etiam quomodo pharmacum vitam tuetur, expellendo humores noxios. 2. Directè res conservatur, cùm *esse* suum accipit à causâ in illam jugiter influente; quâ ratione lux conservatur à sole. Atque hæc quidem directa conservatio vel mediata est, quando fit aliâ causâ mediante; vel immediata, nullâ causâ mediante. Atque his positis,

Dico Rem omnem creatam in suo esse conservari à Deo, non solùm indirectè, quatenus pro suâ providentiâ removet actionem contrariorum, sed etiam directè atque immediatè, quatenus *esse* à Deo jugiter accipit, quasi per continuatam sui productionem; quo pacto per proportionem lux à sole conservatur. Est de fide: sicque in sacris literis dicitur Deus *portare omnia verbo virtutis suæ*. Ad Heb. 1. Sic dicimur *in ipso esse, vivere & moveri*. Act. 17. Item, & *omnia in ipso constant*. ad Coloss. 1. Item huc facit quod legitur Ioan. 5. *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.*

Probatur rationibus. 1. Quia, ut suppono ex Metaph. *De Ente increato, ubi de naturâ entis improducti.* Creatura est ens essentialiter ab alio, nimirum à Deo; vel ut loquitur D. Th. est ens essentialiter participans. Ergo à Deo necessariò semper dependet; nec possibile est sine jugi & continuatâ illius efficientiâ conservari in *esse*: quod enim est alicui rei essentiale, ab eo sepa-

separari non potest. Confir. Quia creatura magis dependet à Deo in suo *esse*, quàm effectus ullus à suâ causâ; non enim potest excogitari major dependentia, quàm creaturæ à Deo. Atqui sunt multi effectus qui à causâ sui productivâ dependent, non tantùm ut primò existant, sed etiam ut existant continuè. Ita lumen à sole dependet effectivè, visio ab oculo, intellectio ab intellectu, &c. Ergo à fortiori sic creatura in suo esse dependet à Deo. Et verò non potest alioquin explicari supremum Dei in res creatas dominium, nisi assignetur concursus ille conservativus, à quo sic dependeant, ut isto subtracto, in nihilum omnes recidant. Nec dicas, effectus plerique naturales & artificiales, sic à suis causis procedunt, ut postea conservari ab ipsis non exigant. *Respondeo* enim longè disparem esse rationem, quia creaturæ sunt essentialiter à Deo; nec dependentiam ejusmodi à suis causis naturalibus habent illi effectus.

CAP. III. *De Concursu Dei simultaneo ad agendum rebus creatis necessario.*

STatuendum est, ex doctrinâ Fidei saltem proximâ, contra Durandum; creaturam non modò *in essendo*, sed etiam *in operando* sic dependere à Deo; ut effectum attingere ullum nequeat, nisi ab eo simul concurrente & juvante immediatè procedat. Ita movere manum, aut festucam levare non possum, nisi adjuvante Deo; ita sol lumen suum, oculus visionem, planta fructum non potest producere, nisi à Deo simul immediatè comproducatur. Probatur iisdem argumentis, quibus explicui necessitatem conservationis Divinæ. Neque enim res secundùm esse

esse suum debet minùs pendere à Deo, quando fit primò existens, quàm ubi postea in suo esse conservatur: siquidem habet semper eandem rationem entis ab alio. Item, multò magis causa omnis creata in agendo dependet à Deo, quàm possit ulla dependere ab aliâ causâ creatâ. Atqui sunt nonnullæ quæ ita dependent ab aliis, ut sine illis immediatè concurrentibus operari non possint; sic enim habitus, & species impressæ operari non possunt absque simultaneo concursu potentiarum quas afficiunt. Quod à fortiori dicendum est de causâ creatâ respectu Dei. Item, ratio supremi dominii in Deo existens postulat ut positis omnibus requisitis ad agendum, causa naturalis sic ab agendo impediri possit per solam subtractionem concursus simultanei, nihil destruendo in ipsâ causâ. Item; quod explicabitur cap. 5. recurrendum est ad primam causam, quæ per suum concursum simultaneum causam determinet ad hunc potiùs, quàm ad alium effectum: unde etiam colligitur necessitas ejusmodi concursus simultanei. Confirmatur verò hæc doctrina authoritate sacræ scripturæ, ubi legitur Deus *operari omnia in omnibus*, 1 Cor. 12. *Omnia per ipsum fieri*, Act. 27. *Producere in montibus fænum*, Psal. 103. *Plasmare* suis veluti manibus, *& formare hominem in utero.* Ex Iob. c. 10. &c. Hæc enim omnia sonant immediatam Dei operationem, aut cooperationem. Quod enim quis veluti propriâ manu perficit, utique illud facit per se immediatè, non autem alio mediante.

Notandumque est concursum Dei passivum esse eundem realiter cum passivo concursu creaturæ, & realiter identificari cum effectu: quemadmodum supra explicui de actione passivâ. At

con-

concursus activus, qui nimirum tenet se ex parte causæ, aliud nihil est quàm volitio libera, seu decretum liberum voluntatis in Deo, quo statuit inferre simul effectum causæ creatæ, sic illam juvando. At

Not. 2. Decretum illud respectu causarum naturalium, & quæ necessariò agunt, esse absolutum ac determinatum, unde necessariò inferatur effectus. Nam respectu liberæ voluntatis, non est decretum nisi indifferens, seu indeterminatum, & conditionatum; quatenus videlicet offertur voluntati concursus ad utrumlibet. Alioquin cùm non possit creatura operari circa concursum Divinum, si foret iste absolutus, & determinatus ad unum; destrueretur libertas voluntatis; siquidem hoc modo non haberet indifferentiam, aut potestatem ad utrumlibet. Quare

Not. 3. Causam creatam hac ratione supponere semper concursum Dei simultaneum. Sed quandoquidem, ut dixi, respectu causæ liberæ est indifferens, ab eâ determinari debet concomitanter; quomodo nec supponitur nisi concomitanter, non autem antecedenter.

CAP. IV. *Solvuntur Objectiones.*

OBjic 1. Causa creata habet virtutem agendi adæquatam, seu sufficientem ad proprium effectum, ut ignis ad producendum ignem. Ergo non est necesse ut à Deo simul concurrente juvetur ad agendum. *Dist. Ant.* Habet vim adæquatam, & sufficientem ex parte sui, & in ratione causæ creatæ. *Tr.* Habet sufficientem ex parte effectus. *N.* Nam ob essentialem dependentiam quam habet à Deo, non potest produci, nisi ipso simul immediatè concurrente.

Inst.

Inst. 1. Deus ad causalitatem materiæ aut formæ non concurrit. *C.* Imò neque illud fieri potest à Deo, nec ratio ulla istud exigeret. Ergo non concurrit ad causalitatem causæ efficientis. *N. parit.* Ob essentialem dependentiam quam à Deo habet ens omne ad extra producibile.

Inst. 2. Potuit illa virtus communicari causæ creatæ, ut se solâ proprium effectum attingeret: ergo ad id non est absolutè necessarius ille Dei concursus. *Prob. Ant.* Quia effectus qui finitus est, non superat potentiam virtutis creatæ cujuscunque. ℞. Cùm de se sit etiam essentialiter dependens à Deo, tanquam à causâ etiam immediatâ, non potest consequenter à solâ causâ creatâ procedere.

Inst. 3. Ergo non posset effectus ullus quantumcunque finitus produci absque influxu causæ infinitæ; nempe increatæ. *C.* Quanquam sic dependet ab influxu causæ infinitæ specificativè sumptæ; non autem reduplicativè ut infinita est, quatenus infinito modo influat.

Inst. 4. Ergo superfluus esset influxus causæ creatæ, siquidem effectus hac ratione totus est ab increatâ. *N. Conf.* Suprà enim monui, quemadmodum hoc faciat ad majorem Dei gloriam, quòd virtutem causandi rebus creatis communicet.

Inst. 5. Ergo idem effectus simul dependeret à duabus causis totalibus. *Dist.* à duabus totalibus ejusdem generis atque ordinis. *N.* diversi. *Tr.*

Inst. 6. Si Deus concurreret ad meam actionem aut manducandi, aut videndi, &c. ex eo deberet dici aut manducans, aut videns meâ visione corporeâ, &c. *N. seq.* Nam illæ actiones denominant tantùm principium sui productivum illud, in quo etiam recipiuntur.

Ob-

Objic. 2. Sequeretur inde imperfectio in Deo, quòd à creaturâ determinaretur ad agendum; nam imperfectius est determinari à liberâ alterius voluntate ad agendum, quàm sese ipsum liberè determinare. ℞. Nego esse imperfectionem sic determinari solùm concomitanter, aut etiam objectivè. Nam alioqui solus Deus sese liberè, formaliter, atque antecedenter determinat ad concurrendum cum liberâ voluntate creatâ, quotiescunque voluerit illa agere. Cùm autem sese voluntas nostra determinat, actu suam volitionem eliciendo; tunc simul & concomitanter sese determinat Deus ad cooperandum. Dicitur verò sic etiam objectivè determinari, quòd oblato suo concursu indifferenti, videns nostræ voluntatis determinationem, sese concomitanter determinet ad concurrendum; quo in casu, illa nostræ voluntatis libera determinatio, est tantùm instar conditionis, quâ positâ, Deus ex debito causæ universalis decernat illi semper cooperari. Sed

Not. 1. Conditionem ejusmodi ex parte causæ creatæ, non idcirco præcedere concursum Divinum; nam etsi Deus illam supponat, concomitanter saltem; minimè tamen supponitur existere antecedenter. Item,

Not. 2. Sic consequenter Deum quasi expectare voluntatis nostræ liberam determinationem; nec tamen idcirco præbet illi suum concursum indifferentem quasi cœco modo, vel ignorans illud quod sequi debet; novit enim saltem per scientiam conditionatam, quam in partem sese pro suâ libertate sit determinatura, supposito concursu indifferenti quem illi offert. Quemadmodum verò dicatur Deus expectare nostrum

noſtrum conſenſum, jam illud explicui in Morali, *Tract.* 2. *Diſp.* 2. *c.* 4. *ad Inſt.* 6.

Objic. 3. Actus peccati qui eſt à liberâ voluntate noſtrâ, perinde ſecundùm omnem ſuam realitatem procederet à Deo. *C.* Ergo Deus perinde eſſet cauſa peccati, ac voluntas noſtra: quod falſum eſt. *Reſpondet D.Th.* Deum quidem ſic eſſe cauſam peccati: vel ſi lubet, eſſe cauſam peccati materialiter, non autem formaliter; quia Deus non habet in ſe principium formale peccati, nempe eſſe ex nihilo ſui; quod tantùm convenit creaturæ. At vulgò Reſpondent alii, Deum idcirco non eſſe cauſam peccati formaliter, & ut peccatum eſt, quia cum noſtrâ voluntate in illum actum non influit, niſi per concurſum indifferentem, ſeu indeterminatum; neque verò etiam vi hujuſmodi concurſus Divini ſequitur actum eſſe moraliter malum; poteſt enim ille actus fieri abſque ullâ morali malitiâ; ut ſi homo ageret ex ignorantiâ invincibili. Vnde colliges eum tantùm eſſe cauſam peccati ut ſic, ſeu peccati formaliter, qui ex advertentiâ malitiæ in peccato exiſtentis, vel ſeſe determinat; vel certè alium aut impellit, aut determinat ad illud peccatum.

Inſt. 1. Vellet Deus hoc peccatum ad quod concurrit. Atqui falſum conſ. Ergo & Ant. *Prob. Ma.* Quia concurſus Dei ſaltem activus aliud nihil eſt quàm volitio ipſius actus qui inferri debet à creaturâ: ergo ſi ille actus creaturæ eſt peccatum, ſic Deus intelligetur velle peccatum. ℞. Deum non velle actum hujuſmodi ut peccatum eſt, voluntate poſitivâ & determinatâ, ſed tantùm voluntate indeterminatâ & permiſſivâ, vi cujus ille actus non habet rationem peccati, ſed tantùm vi voluntatis illius quæ ad

peccatum se determinat, aut alium, ut dixi, ad peccatum vel impellit, vel determinat.

Inst. 2 Sequeretur ex eâ doctrinâ Deum non esse in nobis causam bonorum operum, quatenus sunt bona moraliter; nam perinde ad illa non concurrit nisi ut causa universalis, atque indeterminata. *N. parit.* Quia Deus non offert nobis concursum illum indifferentem, nisi ex intentione boni operis liberè exercendi, ad illud nos impellendo; permittendo solùm ut peccemus si libuerit.

Inst. 3. Non deberet igitur præbere nobis concursum istiusmodi, cùm prævidet nos illo malè usuros; siquidem odit peccatum, &c. ℞. N. *Conf.* Quia ut causa universalis, debet habere rationem boni communis; nec obstare nostræ libertati. Quamobrem sic nobis præbere debet concursum indifferentem, ut servetur jus illius libertatis quam nobis concessam esse voluit; illi autem providentiæ universali per accidens est duntaxat, quòd peccamus; cùm de se nihil ordinet, nisi ad bonum.

Inst. 4. Concursus ille est determinatus ad effectum in individuo. Ergo non est indifferens. Respondebitur huic difficultati sequenti capite.

CAP. V. *Determinatio causæ creatæ ad effectum in individuo, per concursum Dei simultaneum.*

Effectus determinatus à causâ indeterminatâ ut sic, aut à causâ sese non determinante prodire nequit. Alioquin sequeretur causam simul esse indeterminatam, ex hypothesi; tum simul determinatam, quia effectum determinatum attingeret. Atque ita causa libera de se indeterminata quoad speciem actus, quatenus po-

test vel amorem, vel odium exercere circa objectum, sese ad alterutrum determinare debet. Causa naturalis, eademque universalis de se indeterminata ad plures & diversos specie effectus, *v. g.* sol, determinari solet per dispositiones materiæ in quam agit, sicque ajunt communiter, causam universalem agere juxta dispositiones subjecti; ut modò ranam, modò plantam, aliáque id genus producat.

Notabis autem causam determinatam quoad speciem effectus, remanere nihilominus indeterminatam quoad individuum. Cùm enim in suâ virtute activâ contineat plures in infinitum effectus ejusdem rationis, & æquè producibiles; non habet de se unde potiùs unum producat, quàm alium: ergo determinari ad illud debet. Nec dicant Thomistæ, effectus illos, puta ignes, aut calores, qui virtualiter in igne tanquam in causâ continentur, habere ordinem inter se, unde unus exigat priùs produci, quàm alius. Gratis enim istud traditur, immò repugnat ille ordo & series effectuum, cùm omnes sint ejusdem inter se rationis. Et verò etiam possunt ab eodem igne multi simul calores, aut ignes, multis in circumjacentibus subjectis produci, qui consequenter nullam servabunt ejusmodi rationem prioris & posterioris. Ergo nullam habent. Quare

Statuendum est determinationis istius causam aliunde peti non posse, quàm ab ipso Deo, qui pro suâ libertate hunc numero effectum præ aliis eligat, tum ad illum dirigat suum concursum simultaneum, unde *hic* determinatè per cooperationem causæ secundæ inferatur. Sed

Notabis 2. Causas naturales & necessarias sic determinari quidem à Deo per concursum absolu-

solutum ac determinatum, tam ad speciem actus, quàm ad individuum. Causæ verò liberæ, etsi habeant concursum determinatum ad tale individuum, habent nihilominus simul & indeterminatum quoad speciem, ut earum servetur libertas. Non enim offert Deus concursum duntaxat ad hunc numero actum, *v. g.* ad hunc amoris actum circa tale objectum, sed etiam simul & ad hunc numero actum odii circa idem objectum. Item, concursum illum indeterminatum ad speciem, & sub illis speciebus simul determinatum ad individua opposita, non offert absolutè, sed tantùm conditionatè; nempe ex hypothesi quòd velis exercere actum amoris circa tale objectum, non poteris exercere nisi hunc numero amoris actum; neque enim cadit sub nostram electionem, quòd *hic* numero actus à nobis exerceatur potiùs, quàm alius, cùm nequidem cognoscamus illam actuum nostrorum diversitatem numericam.

Objic. Concursus Divinus determinat voluntatem ad hunc numero actum: ergo sic destruit illius libertatem, quæ in eo posita est, ut seipsam pro suo nutu ad alterutrum determinet. ℞. Satis est ad libertatem quòd se determinet ad speciem actus. Et verò nemo vel laudatur, vel vituperatur, quòd talem numero actum; sed potiùs quòd talem specie actum exercuerit.

Inst. 1. Determinans ad hunc numero actum, determinat ad speciem; quia species includitur in individuo, nec ab eo distinguitur. Ergo Deus determinans ad hunc numero actum, determinat ad speciem; & consequenter nulla est allati argumenti solutio. *Dist.* Determinans absolutè ad hunc numero actum, determinat ad speciem absolutè, unde consequenter tollatur libertas.

C. At

C. At Deus non offert concursum nisi indeterminatum, seu indifferentem vel ad hunc *v. g.* amoris, vel ad illum odii actum, circa idem objectum. Ac proinde ex hypothesi, quòd voluntas velit amare, non exercebit nisi hunc numero actum, quem elegit Deus, ac suo concursu determinatè producit.

Inst. 2. Si Deus me determinaverit ad hunc numero actum, ille mihi non est liber, nec proinde agendo mereri, aut demereri possum; quia nullum actum exercere possum, nisi individuum; ergo à Deo determinatum. *Dist.* Determinatum *absolutè. N.* Determinatum *ex hypothesi. C.*

Inst. 3. Sequeretur inde nos quotiescunque peccatum admittimus, illud determinari à Deo; & sic Deum esse causam omnis peccati; siquidem nullum admittitur nisi in individuo. ℞. Deum non esse causam peccati ut peccatum est, quia ex munere causæ primæ offert duntaxat concursum indifferentem atque indeterminatum, vel ad hunc amoris *v. g.* vel ad hunc odii determinatum actum; nec determinatio ad alterutrum existit nisi à solâ voluntate creatâ. Resque eodem modo per proportionem se habet, ac in concursu simultaneo, de quo superiori in capite.

CAP. VI. *De subordinatione causæ secundæ; tum de præmotione & concursu Dei prævio, causæ illi secundæ ad agendum necessario.*

SVbordinatio in agendo, est dispositio agentis inferioris sub superiori, nempe vel instrumentalis sub principali; vel particularis sub universali, à quo, factâ præmotione, ordinetur ad agendum. Motio verò, seu præmotio per quam inferiora superioribus subordinantur, vel

est motus localis, vel virtus activa; ut *cap. 3. Disp. 1. jam monui:* illéque vulgò est concursus prævius, unde causa inferior à superiori perficiatur, compleaturque ultimò tandem ad agendum. Non enim per concursum duntaxat simultaneum rectè explicaretur subordinatio; cum hoc modo causa sit tantùm concomitanter agens, non autem ordinata sub aliâ, per motionem, seu per virtutem, unde illi subjiciatur tanquam inferior superiori, &c.

Notandum verò est, præmotionem aliam esse prædeterminativam causæ ad effectum, unde & appellari solet *prædeterminatio*; alia autem est non prædeterminativa; quia causam relinquit indeterminatam, seu indifferentem ad agendum, aut non agendum; qualis est gratia actualis supernaturalis, quam prærequirit causa libera ad actus supernaturales eliciendos. Atque his positis,

Dico I. Corpora sublunaria cœlestibus in agendo subordinantur per influxus quos ab iis accipiunt. Illa enim est cœlestis motio, quâ virtutes naturales inferiorum agentium complentur in ordine ad varios effectus, quos alioqui non ita perfectè, aut certè vix ullo modo attingerent. Confir. Quia nemo dixerit frustra esse illos influxus cœlestes, quibus etiam propagandis ne quid obstet, natura tantopere vacuum refugit, uti suo loco exponemus. Item, patet experientiâ, quemadmodum accessu, vel recessu corporum cœlestium, ac præcipuè solaris, vel deficiant, vel novis generationibus reparentur sublunaria, unde est illud commune ex Arist. *Sol & homo generant hominem, &c.*

Notabis verò hæc infima sic mediatè subordinari Deo, tanquam supremo rerum omnium prin-

principio. Nam corpora cœlestia suas habent sibi addictas *Motrices Intelligentias*, quibus proinde hoc pacto subordinentur. Tum denique ipsæ Intelligentiæ à Deo immediatè leges accipiunt, quibus hunc orbem corporeum administrent. At præterea

Dico II. Creaturæ omnes Deo immediatè subordinantur in agendo. Quod variis modis explicari potest. Ac primò quidem quatenus dispositæ sunt sub ipsius directione; nec agunt nisi in ordine ad finem quem intendit. 2. Eo sensu dicuntur illi subordinatæ res omnes, quòd possint ab ipso elevari, tanquam instrumenta ad varios effectus supernaturales. At 3. Deo præcipuè subordinantur per virtutem agendi sibi naturalem ab eo acceptam & jugiter conservatam. Quomodo *v. g.* ignis per calorem à Deo acceptum & jugiter conservatum dicitur esse illi subordinatus in agendo. Et sic de aliis. Ita Suarez. Confir. Quia hæc ratio sufficit ad explicandam essentialem istiusmodi subordinationem in agendo, quam *vulgò* omnes causæ naturales habent ad Deum. Iste enim est concursus prævius, & motio recepta in causâ creatâ per quam jugiter perficitur, completurque ad agendum. Nec dicas, motio propriè dicta vel est motus localis, ut in penicillo; vel qualitas activa subjecto præternaturalis ipsi realiter superaddita, ut calor aquæ. *C.* Ergo illa virtus connaturalis & propria, non est præmotio nisi impropriè. *Tr.* Nihil tamen hoc impedit quominùs creatura per eam propriè dicatur Deo subordinata in agendo; cùm hujusmodi virtus, quantumcunque naturalis, magis dependeat à Deo in suo esse & conservari, quàm ulla motio instrumentalis propriè dicta dependeat à suâ causâ principali.

pali. Deinde, sic etiam explicatur quomodo causa secunda non agat nisi mota à primâ, sitque hac ratione velut ipsius instrumentum, quanvis impropriè; quia instrumentum propriè dictum, non attingit effectum per virtutem sibi propriam & effectui proportionatam, ut supra ostendi. Item, sic explicatur quemadmodum Deus habeat rationem agentis primi respectu cujuscunque effectus; quia causa secunda in illum non influit, nisi ut priùs naturâ accipiens à Deo virtutem jugiter conservatam. Quare

Not. 1. Nos hac ratione conciliari cum Thomistis, quatenus docent, & quidem rectè, non posse causam creatam agere nisi cum subordinatione ad Deum, & acceptâ ab eo præmotione. Quanquam

Not. 2. Discrepare nos à Thomistis, dum ajunt agens creatum per motionem ejusmodi impropriè dictam, seu per virtutem naturalem, puta ignem per calorem, nondum esse ultimò completum ad producendos effectus, dum præterea motionem aliam, seu qualitatem aliam à Deo accipiat, per quam ipsi subordinetur in agendo: alioquin, inquiunt, sublatâ motione illâ, nullus ab igne vel calor, vel ignis prodire posset. Item,

Not. 3. Præmotionem illam, in eorum sententiâ, esse prædeterminativam, & simpliciter vocari *physicam prædeterminationem*. Quâ positâ non possit non agere sive causa naturalis, sive etiam causa libera, quæ perinde ipsi Deo hac ratione debent subordinari. At

Dico III. Frustra est illa prædeterminatio; quandoquidem sufficienter explicatur subordinatio causæ creatæ ad Deum per virtutem agendi naturalem à Deo acceptam, & jugiter con-

conservatam; aliisque modis quos in assertione superiori protuli. Quinetiam

Dico IV. Illa prædeterminatio in causis liberis destrueret prorsus libertatem ad meritum, aut ad demeritum necessariam. *Prob.* Quia ex definitione Innocentii X. libertas ad meritum, aut ad demeritum necessaria, est libertas indifferentiæ, seu libertas à necessitate. Vt habetur in Morali *Tract.* 2. *Disp.* 2. *c.* 2. *assert.* 4. Vel quod in idem recidit; libertas ea est, quâ, positis omnibus ad agendum prærequisitis, voluntas potest agere, aut non agere: quamobrem ille qui agit liberè, dicitur agere cum dominio in proprium actum, quatenus illum exercere, aut non exercere possit, aut ad illum sese determinare; quod est proprium facultatis liberæ, & in quo differt à naturali, quæ agit ex antecedenti determinatione, non autem sese determinando, &c. Atqui his omnibus repugnat voluntatis prædeterminatio; hæc enim infert necessitatem antecedentem ad ipsum voluntatis actum, nec consequenter potest voluntas non agere, nec habet dominium sui actus, nec sese ad illum determinat, cùm potiùs agat ex prædeterminatione. Quam autem afferunt adversarii distinctionem de sensu diviso & composito, tum de indifferentiâ judicii; aut de indifferentiâ remotâ, & de proximâ, illud jam refutatum est in Morali, capite jam citato.

Deinde ex illâ prædeterminatione physicâ sequeretur Deum esse authorem & causam peccati quod oritur à voluntate creatâ. Atqui hæreticum illud est conſ. Ergo & Antec. *Distinguunt Majorem*, & concedunt quidem sic posse dici causam peccati materialiter, seu entitativè sumpti, id est, actus illius qui est peccatum; sed ne-

negant esse causam illius prout peccatum est formaliter, seu malitiæ ipsius. *Sed contra est.* Quia voluntas sese determinans ad actum peccati etiam materialiter sumpti, seu ad volendum rem illicitam, hoc ipso dicitur causa peccati formaliter sumpti, seu malitiæ illius; neque enim alio modo potest esse causa illius; siquidem non potest ferri in malum sub ratione mali & peccati. Neque alio modo vel homo, vel dæmon dicitur propriè causa peccati, ubi suasionibus aliquem directè inducit ad prosequendam rem illicitam. Ergo à fortiori Deus dicetur causa & author peccati, voluntatem directè prædeterminans ad actum pravum; quia pariter foret causa illius rei, cui necessariò conjuncta est malitia rectæ rationi opposita. Item, sic maximè dicitur velle peccatum; nihil enim dicitur quis magis velle, quam quod absolutè vult fieri, mediisque efficacibus procurat. Atqui hæreticum est, si quis dixerit Deum velle peccatum; neque ut ait D. Aug. eorum esset justus ultor, quorum esset author.

Ac postremò tandem sequeretur ex illâ prædeterminatione physicâ, peccatum à nobis vitari non posse, sicque Divina præcepta fieri nobis impossibilia. Quod Innocentius X. declaravit esse impium, blasphemum, atque hæreticum. *Prob.* Quia positâ illâ prædeterminatione, quæ in nobis fiat independenter à nobis, non possumus non agere: ergo sic non possemus non peccare. *Respondent quidem* dari simul gratiam sufficientem ad vitandum peccatum. *Sed contra est.* Quia gratia illa non est sufficiens, quæ nullum habere effectum potest: quod in eo casu contingeret, ubi voluntas sub prædeterminatione hujusmodi non potest non operari.

Nota-

Notabis prætereà, fuisse hanc quoque ab adversariis excogitatam solutionem; nempe illam necessitatem quam inferimus, non oriri nisi ex suppositione liberi decreti Divini, & motionis Divinæ: necessitatem verò ex suppositione, non impedire ut idcirco res minùs liberè fiat. Quomodo, inquiunt, ex hypothesi quòd loquaris, necesse est te loqui; cùm tamen absolutè & simpliciter possis non loqui; item, ex hypothesi quòd ab æterno sit præscita tua damnatio, necesse est te damnari, & tamen simpliciter potes non damnari; quæ sufficiunt ad libertatem. Sed ℞. Tunc impediri libertatem, quando suppositio non est in nostrâ potestate; nec pendet ab aliquo, quod sit in nostrâ potestate. Quo pacto non est in nostrâ potestate ut existat Divinum illud decretum absolutum, & ab eo profecta prædeterminatio nostræ voluntatis, juxta adversarios, sequiturque in eâ doctrinâ, uti jam monui ex Lessio *in Apol. cap.* 3. sequitur, inquam, omnia fato quodam inevitabili evenire, nec posse nos facere alia, nec alio modo aut tempore, quàm quæ facimus. Item, nec Dei præcepta, etiam hoc sensu, iis esse possibilia, à quibus non servantur; quòd, denegatâ illâ prædeterminatione, non habeant vires sufficientes ad agendum: alioqui non posset non fieri opus imperatum; nec posset resisti Spiritui Sancto, aut abjici inspiratio, cui, & per quam consentimus: quod tamen repugnat Trident. *Sess. 6. cap.* 5. Neque verò etiam aliud fati aut necessitatis genus impugnamus contra hæreticos; nec disputamus cum illis, nisi de sensu composito; nec aliam ob causam negant liberum arbitrium.

Nota, hîc egisse me de subordinatione quam ad Deum *vulgò* habent causæ naturales; ne quid

dicam de iis quæ per potentiam obedientialem subordinantur Deo; cùm istud suprà jam satis fuerit explicatum.

CAP. VII. *Solvuntur Objectiones.*

OBjic. 1. Contra id quod dictum est causam omnem creatam subordinari Deo per virtutem ab eo acceptam, & jugiter conservatam: sic, inquam, *Objic.* Causa creata subordinatur Deo, dependetque ab ipso, non tantùm in ratione entis, & principii habitualis suorum effectuum; sed etiam in ratione principii actualis. *C.* Atqui per virtutem illam à Deo productam & jugiter conservatam, non dependet nisi in ratione principii habitualis, unde nimirum possit actu producere suos effectus; cùm præterea, ut dixi, requiratur dependentia in ratione principii actualis, unde illos effectus actu producat; quod habere solùm potest per actualem præmotionem, &c. ℞. *Neg. Min.* Nam virtus illa permanens jugiter à Deo conservata, eadem est etiam per quam causa influit actu in effectum. Neque enim habitualiter in causa existit, nisi ut cùm adsunt omnia ad agendum requisita, tunc agat causa naturalis, quæ de se ad agendum est determinata, nec aliâ opus habet determinatione.

Inst. 1. Illa virtus agendi deberet etiam in agendo subordinari Deo per motionem aliquam. *Negatur.* Quia de se est virtus ad agendum. Alioquin idem deberet dici de motione quam supponunt adversarii, ac proinde cogerentur admittere processum in infinitum.

Inst. 2. Etsi agat ignis *A* cum igne *B*: aut equus *A*, cum equo à se producto, cui consequenter agendi vim communicaverit; non ideo dicitur

dicitur illum sibi subordinare in agendo; neque enim sic illo superior & perfectior est in agendo. Ergo nec subordinatio creaturæ ad Deum explicari debet ex eo quòd creatura agat per virtutem ab ipso acceptam. ℞. Fuisse additum Tò *& jugiter conservatam.* Quia sic veluti per jugem influxum movet ac perficit creaturam in ordine ad proprias illius operationes.

Inst. 3. In Divinis, Filius cum Patre producit Spiritum S. per virtutem à Patre jugiter conservatam; nec tamen idcirco dicitur ipsi subordinatus; quia subordinatio dicit inferioritatem, cujusmodi nulla est in personis Divinis. Ergo à pari in creatis virtutis activæ productio, & jugis illius conservatio non est sufficiens ad explicandam subordinationem. ℞. *Neg. parit.* Quia virtus spirativa in Patre & Filio est eadem, cum eâdem naturâ; nec consequenter ibi est locus subordinationi, aut inferioritati.

Inst. 4. Causarum nobilissimæ, nempe cognoscitivæ, non agunt nisi acceptâ specie impressâ, tanquam præmotione quadam propriè dictâ, quæ scilicet est virtus aliqua facultati naturali superaddita. Ergo idem à fortiori statuendum est de aliis. ℞. *N. parit.* Nam ex speciali ratione potentia cognoscitiva recipit speciem impressam, quia nimirum de se indeterminata est ad speciem actus; sub quâ indeterminatione agere non posset.

Inst. 5. Ergo à pari voluntas, cùm de se etiam sit indeterminata, debet quoque accipere & præmotionem sibi superadditam, suique determinativam ad actum. *Nego parit.* Quia proprium est facultatis liberæ ut seipsam determinet.

Inst. 6. Ergo sic voluntas immota seipsam moveret. Atqui proprium est Dei, ut dicatur *movens, & agens immotum.* ℟. Per hoc etiam voluntas creata differt à Deo, quòd agat ut virtus ab ipso producta, & jugiter conservata; quam etiam ob causam dici potest moveri *ad esse*, ut aliàs tradam ex doctrinâ Aristotelis. Item ℟. Servatâ in loquendo verborum proprietate, in Petro *v. g.* voluntatem non operari, nisi *ut quo*; solum autem Petrum operari *ut quod*, juxta illud axioma metaphysicum, *Actiones sunt suppositorum.* Quâ factâ suppositione, dico Petrum non operari, aut velle, etiam in ordine naturali, nisi acceptâ præmotione à Deo, per quam ipsi ut primo agenti subordinetur: hæc autem in allatâ hypothesi, alia non est, quàm voluntas à Deo accepta, & jugiter conservata.

Inst. 7. Hoc non impedit quominus voluntas, aut homo per voluntatem sit primum principium suæ determinationis, seu primum determinans sese; *Tr.* Ergo omnis effectus creaturæ non referretur ad Deum, tanquam ad primam sui causam; essentque plura absolutè prima principia: quod dici non debet. *N. Conf.* Sufficit enim quòd voluntas non agat sine influxu Dei jugiter sui conservativo, &c.

Objic. 2. Contra id quod dictum est, prædeterminationem voluntatis à Deo, repugnare cum ipsius libertate. Sic inquam, objic. Dei præmotio quâ prædeterminat causam secundam, ita sese illius naturæ accommodat, ut non tantùm operationem infallibiliter inferat, sed etiam & modo ipsi consentaneo; id est, efficit ut agat liberè, si causa est libera. Alioquin Divinus ille concursus non esset illimitatus, & uni-

universalis tam ad substantiam actus, quàm ad modum ipsius. ℞. Res creatas moveri quidem à Deo, modo ipsis consentaneo. Quare, si agitur de causâ liberâ; dicendum est, illam non moveri à Deo cum prædeterminatione, ut liberè agat; hoc enim involuit contradictionem; eoque in casu admittenda solùm est præmotio, quæ vim agendi indifferentem ad utrumlibet, & sui determinativam non lædat.

Inst. 1. Illa antecedens & *potentialis*, ut vocant, *indifferentia*, non est de ratione libertatis: ergo prædeterminatio illi opposita nihil repugnat libertati. *Prob. Ant.* Quia sufficit ad libertatem, quòd ita operemur actu, ut in sensu diviso possimus non operari, aut operari oppositum. *Ita Thomistæ.* At contrarium ostendimus in Morali *Tract.* 1. *Disp.* 2. *c.* 2.

Inst. 2. Tunc quotiescunque operaremur, destrueretur libertas: quia tunc destrueretur illa indifferentia: siquidem ex hypothesi quod voluntas sit determinata ad actum, tunc ampliùs non est indifferens ad oppositum. ℞. Tunc quidem destrui *consequenter* libertatem ad actum; non autem *antecedenter*. Vt habetur in Morali, *cap.* 5. *ejusdem Disp. Assert.* 5. Vbi etiam exposuimus quemadmodum & ipse actus qui tunc exercetur, dicendus sit maximè liber.

Notandum enim est, ad uberiorem loci illius explicationem, liberum arbitrium in actu secundo, seu quoad usum, non esse nisi actus præsentis, seu actus illius quem de facto elicit. Prob. Quia voluntas antequam agat dicitur tantùm libera in actu primo, nec adhuc habet meritum, aut demeritum proprium actus liberi. Neque verò etiam dicitur tunc tantùm libera, postquam egit: sic enim duntaxat verum

est

est eam fuisse in agendo liberam. Ergo tunc maximè est libera cùm actu agit. Nec tantùm habet in suâ potestate futuras actiones, aut respectu solùm futuri actus est libera. Alioquin, ut dixi in Morali, explicari non posset, quemadmodum aliqua actio in Deo sit libera ab æterno, non enim ulla id genus fuit illi futura, puta voluntas creandi mundi; cùm potiùs illam habeat ab æterno. Sequereturque etiam Angelus in momento quo fuerunt creati; aut Christum Dominum in ipso instanti Incarnationis non meruisse, quia neque ipse Christus Dominus, neque Angeli extiterunt antequam illos meriti actus, ac proinde liberos exercerent.

Notandumque est etiam, seclusâ prædeterminatione illâ Thomistarum, explicari nihilominus quemadmodum Deus prævideat determinatè liberos voluntatis actus futuros; aliáque id genus, quæ ad effectus gratiæ & prædestinationis attinent; ut legere est *cap.* 4. *ejusdem Disp. moralis.* Tum in Metaphysica *Tract.* 2. *Disp.* 2. *cap.* 7. & 8.

DISPVTATIO IV.

De Virtute Activa Causarum Naturalium.

CAP. I. *Vis emanativa, & activitas Accidentium.*

Vt actionis, ita & virtutis activæ, seu activitatis duplex est genus. Alia enim est emanativa, per quam alicujus subjecti proprietates producuntur; ut in igne calor & siccitas; nec terminus emanationis ut sic, propriè dicitur

dicitur effectus; quomodo in Theologiâ non licet terminos Divinarum emanationum appellare *effectus*. Alia autem est virtus propriè activa, & ad *effectus* propriè dictos, sive illi sint *immanentes*, sive *transeuntes*.

Dico autem I. Virtutem emanativam proprietatum, non esse aliquam facultatem realiter distinctam ab ipsâ essentiâ, seu naturâ; unde sequitur illas immediatè procedere ab ipsâ rei essentiâ, puta calorem ab essentiâ ignis. Prob. Quia si fieret istud mediante qualitate aliquâ, de eâ institueretur eadem difficultas; & sic foret processus in infinitum. Quanquam

Notabis productionem proprietatum tribui generanti, ex doctrinâ Aristotelis. Vnde & vulgò jactatur istud, *dans esse, dat & consequentia ad esse*. Sed ille est sensus, quòd generans, ubi esse in effectum influit, cum eo consequenter concurrat ad productionem proprietatum; saltem mediatè, quatenus dat esse ipsi effectui.

Dico II. Accidens, seu qualitas accidentalis per suam entitatem immediatè producit alia accidentia. Probatur experientiâ. Calor enim, etiam cùm est in aquâ, producit alium calorem: quo in casu solus calor per se potest esse causa caloris producti. Sicque accidens potest esse activum, non tantùm actione transeunte, ut in allato exemplo; sed etiam immanente; ut quando intellectus in seipso producit intellectionem.

Dico III. Ab accidentibus non solùm accidentia, sed etiam substantiæ possunt immediatè produci. Prob. experientiâ. Sic enim sæpe rana producitur absente ranâ, per solas qualitates ad ipsam ranæ formam dispositivas; idem-

idemque eſt dicendum de muribus, aliiſque id genus quæ ex materiâ putri oriuntur. Hucque eſt revocandum illud Averrois dictum, *ejuſdem eſſe virtutis activa diſponere materiam, & formam inducere.* Sic abſente igne producitur ignis in ſagittâ miſsâ per aërem. Item, per qualitates occultas è cœlo influentes perficiuntur in Terræ viſceribus lapides & metalla. Item, ſemen plantæ concurrit efficienter ad generationem plantæ, plantâ ipsâ à quâ deciſum eſt, jam corruptâ. Nec dicat Scotus, ab ipsâ ſolis ſubſtantiâ, per actionem in diſtans, res illas efficienter attingi; nam oſtendam poſtea, ejuſmodi actionem in diſtans eſſe impoſſibilem. Neque verò etiam philoſophicum eſt ad Deum, tanquam ad cauſam quæ defectum ſubſtantiæ propriæ ſuppleat, recurrere. Item, ſequeretur inde plantam *v. g.* nunquam generare ſibi ſimilem in ſpecie, quia nunquam hoc præſtat niſi mediante ſemine: quod eſt abſurdum. Nam ſi rebus inanimatis hoc conceſſum eſt, puta igni, ut ſibi ſimile in ſpecie generent; debet à fortiori convenire & viventibus, ut plantæ; nec alioqui Deus naturæ vires ad ſui conſervationem in ſpecie ſufficientes ſuppeditaſſet; quod repugnat communi philoſophiæ. At

Dico IV. Accidentia efficienter ſic attingere ſubſtantiam, non in propriâ virtute, ſed in virtute ſubſtantiæ ad quam pertinent. Prob. Quia accidens eſt inferioris ordinis ab ſubſtantiam: ergo illam non poteſt in propriâ virtute attingere; quod enim dat eſſe alteri in genere cauſæ principalis, aut in propria virtute, debet illius perfectionem, ſaltem æquè perfectè, in ſe continere.

Notabis verò, accidens eo ſenſu non agere in vir-

virtute substantiæ, quòd substantiæ ipsi inexistat: neque enim calor ferro inexistens, dicitur idcirco ignem producere in virtute ferri. Item, neque etiam hoc sensu, quòd recipiant in se aliquam virtutem sibi superadditam à substantiâ; nam illa virtus esset aliquod accidens, de quo rediret quæstio, & sic fieret processus in infinitum.

Notabis igitur 2. Accidens eo sensu agere in virtute substantiæ, quòd de se, & ex naturâ suâ sit virtus substantiæ, unde propriè loquendo non debet dici agere in virtute substantiæ, sed potius *ut virtus, seu facultas* substantiæ. Nam accidens non est activum nisi quatenus est ens, & eo modo quo est ens: atqui ex naturâ suâ non est nisi entis, id est, substantiæ ens, ut sæpe cum Aristotele loquitur D. Th. Vnde sequitur non esse activum, nisi quatenus est ens, seu facultas & virtus substantiæ. Quamobrem

Not. 3. Accidentia etiam ejusdem speciei, quatenus tamen sunt à diversis specie substantiis, esse diverso modo activa, pro diversis essendi actibus quos consequenter accipiunt, juxta nostram doctrinam de actu, seu modo essendi. Sic enim, ut vulgò ajunt, modus agendi sequitur modum essendi: nec modus agendi varius esse potest in accidentibus ejusdem speciei, nisi ex vario essendi actu. Ita calor ut ab igne est, fit productivus ignis; ut à vivente, attingit vivens, &c. Vnde etiam qualitates quæ fluunt à nobilioribus substantiis in ordine ad aliquos effectus, habent nobiliorem tum essendi, tum agendi modum; ut cœlestes influxus. Nam & corpora cœlestia cùm sint causæ universales ad effectus causarum sublunarium, vim habere debent longè præstantissimam, universalissimamque.

CAP.

CAP. II. *Solvuntur Objectiones.*

OBjic. 1. Accidens, seu forma accidentalis, dum alteri sese formaliter communicat, dat tantùm esse accidentale, puta *esse calidum, frigidum, &c.* C. Ergo non potest effectivè alteri communicare nisi esse accidentale. *N. Conf.* Quia ut virtus instrumentaria substantiæ, potest communicare *esse* nobilius quam proprium.

Inst. 1. Non continet in suâ virtute activâ *esse* substantiale, quia est inferioris ordinis ad illud *esse*. ℞. Inde sequi tantùm quod non contineat illud *principaliter*, sed nihil impedit quominus contineat *virtualiter* & *modo instrumentali*; nec effectus substantialis illi est indebitus, nisi ut causæ principali.

Inst. 2. Deus non tribuit accidenti concursum, nisi ipsi debitum, talis autem concursus non est ad producendam substantiam. *Dist.* Ad producendam principaliter. *C.* Instrumentaliter saltem. *N.*

Inst. 3. Nullum instrumentum agit sine influxu actuali causæ principalis; nec consequenter vel sine motu locali, vel sine virtute activâ superadditâ: quod non reperitur in accidente, ubi dicitur ab eo generari substantia. Ergo illi talis effectus non est attribuendus. ℞. Concedo illud de instrumento propriè dicto, non de solâ virtute instrumentariâ, cujusmodi est accidens. Sufficitque in eo virtualis quidam influxus substantiæ; eo sensu, quòd tota substantiæ virtus contineatur instrumentaliter in accidente, quasi vicario ipsius substantiæ. ℞. 2. *Dist. Ant.* Instrumentum *conjunctum* non agit sine influxu causæ principalis. *C. Separatum*, cujusmodi est istud. *N.*

Objic. 2. Calor *v. g.* separatus ab igne ; vel virtus ranæ productiva , potest ranam producere etiam nullâ ranâ existente : ergo sic ageret independenter à ranâ ; ergo non ut virtus ejus instrumentaria. ℞. Nunquam agere nisi ut virtutem instrumentariam suæ causæ principalis , *v. g.* ranæ ; neque etiam est ens nisi cum dependentiâ ; servatque idcirco semper relationem essentialem ad ipsam ranam, etiam non existentem , quia relatio essentialis potest esse ad terminum non existentem actu.

Inst. 1. Illud accidens non est virtus ranæ ; nisi quatenus productum à ranâ , & ipsius effectus. At effectus non habet nisi relationem accidentalem ad suam causam creatam , quâ destructâ perit relatio. ℞. 1. Illud accidens considerari vel ut effectum, vel ut virtutem. At quatenus est virtus , habet relationem essentialem ; neque ut sic est necesse ipsum produci à ranâ , aut ab aliâ substantiâ cujus sit virtus ; ut quando producitur tantùm à sole.

Inst. 2. Sic consequenter illa diceretur virtus solis , non autem ranæ. *N. Conf.* Non enim est virtus ranæ ex eo præcisè quòd sit producta à ranâ ; sed potius quia ex suâ naturâ est facultas debita ranæ per quam agat ipsa rana. Quomodo per proportionem instrumentum pictoris, ut penicillus , aut instrumentum statuarii , ut malleus fabricatus à fabro lignario , non idcirco dicitur esse instrumentum fabri lignarii , sed tantummodo vel pictoris , vel statuarii cui deservire potest.

Inst. 3. Non posset dici cujus substantiæ, puta cujus ranæ esset illa virtus à sole producta. *Tr.* Ergo non esset virtus ullius ranæ. *Dist.* Ullius determinatè, *C.* Indeterminatè, *N.*

Inst.

Inst. 4. Sequeretur ergo solùm illam esse virtutem ranæ in communi. Atqui nulla est rana in communi, nisi Platonica & chymærica. ℞. De facto non esse virtutem ranæ in communi, sed tantùm ranæ alicujus individuæ, & indeterminatæ; nec referri ad aliquam ranam individuam, nisi indeterminatam. Quomodo per proportionem dicimus materiam primam de se referri ad formam substantialem ut sic, hanc videlicet, aut illam indeterminatè. Vel quomodo etiam dicimus penicillum hunc numero, esse instrumentum pictoris, quanvis determinatè nullius sit, sed alicujus tantùm indeterminatè.

CAP. III. *Activitas substantiæ creatæ mediis accidentalibus potentiis.*

Dico I. Substantia creata de se est activa. Prob. Quia vis agendi est aliqua perfectio, quæ potiori jure tribuenda est substantiæ, quàm accidenti. Conf. Quia accidens non producit substantiam, nisi ut virtus instrumentaria substantiæ; cùm substantia sit de se effectus accidenti improportionatus. Ergo à fortiori substantia debet esse activa. Et verò, substantia semper est principalis causa effectus, saltem substantialis, qui ab accidente procedit. Sicque ajunt vivens procedere à vivente in similitudinem naturæ, &c. puta equum ab equo; etsi ab equo non producitur nisi mediante ipsius virtute seminali.

Dico II. Accidentia quæ propria sunt alicujus substantiæ illique inhærent, cum ipsâ concurrunt ad eos effectus quos producit. *Exempli causâ*; calor igni inhærens, cum ipso igne concurrit ad productionem aut ignis, aut caloris alterius. *Prob.* Quia frustra calor esset igni adjunctus;

junctus; nec habet activitatem, nisi ut illam cum igne exerceat. Et verò si accidens potest attingere substantiam, etiam quando est separatum à substantiâ; debet à fortiori idem præstare ubi conjungitur substantiæ, cujus est proprium; nam & eâ ratione reddi debet magis activum; siquidem virtus simili alteri virtuti unita, plus agit. At

Dico III. Cum D. Th. Substantia propriè dictos effectus, seu qui citra emanationem sunt, non attingit, connaturaliter saltem, nisi mediantibus potentiis accidentalibus ipsi realiter superadditis. Sic Arist. lib. de sensu & sensili, cùm ait: *ignem quâ ignem; & quâ Terram, nihil esse nata agere, aut pati: sed tantùm quatenus iis contrarietas inest.* Id est, quatenus habent qualitates contrarias, quibus mediis ad invicem agant. *Probatur* 1. *ratione à posteriori.* Quia videmus rebus omnibus à naturâ concessas esse potentias accidentales, per se immediatè activas; ut igni calorem: quæ certè frustra essent, si substantiæ seipsis immediatè operari possent. Ergo illis tantùm mediantibus potentiis operantur. Istudque etiam inde manifestum est, quòd remanente semper eâdem substantiâ, debilitatis potentiis, actio fiat remissior. Item, ajebamus superiori capite, quemadmodum res agant sæpe, ubi secundùm substantiam non adsunt, sed tantùm secundùm accidentia, seu virtutes instrumentarias. Ergo pariter, & à fortiori, ubi adsunt secundùm substantiam illis accidentibus instructam, statuendum est per ipsa influere in suos effectus. *Prob.* 2. *ratione à priori.* Quia nihil est alterius perfectivum, aut sui efficienter communicativum, nisi præsupponatur in se perfectum. Atqui substantia sine suis po-

tentiis naturalibus non est perfecta & completa, tam secundùm esse substantiale, quàm accidentale; unde consequenter sine illis non est sui efficienter communicativa. Neque verò est cum illis sui efficienter communicativa, nisi quatenus illis mediantibus effectus suos attingit.

Atque inde solvitur objectio petita ex eo quòd ipsa substantia immediatè suas falcultates, ut ignis calorem suum emanet; ac proinde possit alium calorem citra emanationem pari modo producere immediatè. Disparitas enim est, quòd res præsupponatur in se perfecta, ut sese efficienter communicet ad propriè dictos effectus. Quanvis illi non superent in perfectione qualitates eas quas in se emanat; ut patet in exemplo caloris respectu ignis.

Inst. 1. Substantia potest immediatè pati. *C.* Ergo & agere. *N. Conf.* Quia plura requiruntur ad agendum, quàm ad patiendum.

Inst. 2. Substantia potest id totum quod potest facultas quàm in se emanat. Ergo à fortiori potest præstare immediatè, quod supponitur efficere per illam facultatem; ut anima per intellectum; ignis per calorem. *Dist. Ma.* Potest id totum quoad substantiam rei producendæ. *C.* Non quoad modum, quia non potest immediatè.

Inst. 3. Potest & quoad illum modum: ergo nulla solutio. *Prob. Ant.* Quia modus ille est convenientior substantiæ, quàm accidenti; siquidem modus ille est perfectior, & consequenter debetur enti perfectiori, cujusmodi est substantia. *Dist.* Modus ille est perfectior tantùm secundùm quid, ac proinde potest convenire enti imperfectiori. At modus agendi

di substantiæ proprius, & qui secundùm se perfectior dicitur, est modus agendi *primariò* & *principaliter*. Certè perfectiones aliquâ ex parte majores convenire possunt enti imperfectiori, quomodo incorruptibilitas convenit non modò cœlo, & aliis entibus perfectissimis, sed etiam materiæ primæ, & quibusdam accidentibus; non autem corpori viventi; quòd ratione vitæ, est nihilominus simpliciter perfectius quàm corpus cœleste. Atque istud per proportionem dici potest de modo agendi immediatè.

Inst. 4. Modus agendi cum independentiâ, est substantiæ proprius, & magis perfectus. Sed talis est modus agendi immediatè, & independenter à potentiis accidentalibus. Ergo, &c. *Prob. Ma.* Quia modus agendi debet sequi modum essendi. Atqui modus essendi substantiæ est independens ab accidentibus, cùm ipsa etiam de se prior sit ad omne accidens. ℞. Nego modum agendi cum independentiâ; ipsumve esse, aut agere independenter ab accidentibus, esse substantiæ creatæ proprium. Cùm enim, ut supra jam monui, non habeat modum essendi completum sine accidentibus, mirum non est si agere nequeat sine accidentibus. Vnde etiam ignis destitutus calore proprio, stupam injectam ne quidem calefaceret.

Inst. 5. Ergo substantia creata sic tantùm ageret per accidens. *Dist.* Id est, ageret per potentiam accidentalem. *C.* Id est, non ageret per potentiam sibi propriam. *N.* Sic autem agere per potentiam sibi propriam, est agere per se.

Objiciunt etiam hoc loco adversarii incommoda quæ viderentur sequi ex eo, quòd substantia mediantibus potentiis accidentalibus

attingat effectus substantiales, quasi accidens ad hoc elevari non possit. Sed eâ de re satis constat ex doctrinâ capitis superioris.

Dico autem IV. Etsi creata substantia effectus propriè dictos attingere immediatè viribus naturalibus nequeat; nihil tamen impedit quominus id præstare possit, saltem per virtutem obedientialem. Neque enim hoc magis repugnat, quàm ab ipsâ substantiâ prodire immediatè propria accidentia. Quod ostendebamus *cap.* 1. *Ass.* 1.

CAP. IV. *De sphærâ activitatis agentium naturalium; & de eorum actione directâ, reflexâ, & refractâ.*

DVplex est agentium naturalium genus. Alia enim agunt solùm movendo localiter; nec habent determinatum suæ activitatis terminum. Nam si daretur medium infinitum, lapis in eo posset descendere in infinitum. Verùm alia sunt ex agentibus naturalibus quæ agunt per virtutem, seu qualitatem activam à se in medium diffusam: ut ignis per calorem, sol per lumen. Cùm autem nulla sit ratio cur agant potiùs in unam, quàm in aliam partem, siquidem habent de se virtutem agendi suam æqualiter ad omnes partes determinatam; idcirco agunt in sphæram, suamque activam qualitatem in omnes circumquaque partes æqualiter diffundunt, quantùm est in se. Vt patet experientiâ candelæ medio in aëre lucentis.

Dico autem I. Sic omne agens naturale habere semper determinatam aliquam sphæram suæ activitatis: nam virtus omnis creata finita est, ac determinata; neque hoc modo consequenter potest agere in infinitum. Item

Dico

Dico II. Qualitatem illam prout in directum effunditur, non esse uniformem; id est, æqualis ubique intensionis, sed potiùs difformem; quatenus in partibus remotioribus, minori est cum perfectione, ut patet experientiâ. Quanquam sic vulgò ajunt illam diffundi *uniformiter difformiter*; quia decrescit eâ proportione, quâ distat ab agente sui productivo.

Notabis tamen ex probabiliori sententiâ, in illo perfectionis decremento, & uniformi difformitate non servari proportionem, ut ajunt, arithmeticam, qualis reperitur in figurâ conicâ, prout acuminatur à basi ad verticem. Sed potiùs decrescit in proportione geometricâ; quatenus *v. g.* toto primo in pede fortasse habeat intensionem ut 7. in secundo & dimidio, fortasse ut 6. & sic deinceps. Dixi *fortasse*; quia quantitas illa vix dignosci potest; nec habetur illud sensibiliter, nisi in magneticis; ubi maximè agitur de illo genere verticitatis, quam appellant magneticam inclinationem ad polum Terræ. Sic enim adhibito idoneo instrumento, nempe circulo, suos in gradus ritè diviso, percipies motum inclinationis non fieri nisi certâ in proportione geometricâ hujusmodi, prout magis acceditur ad polum Terræ; quem Terræ polum supponimus per virtutem à se diffusam motum illum acus inclinatoriæ determinare. Quod facilè est experiri movendo acum versoriam circa æquatorem lapidis magnetici, incipiendo à puncto gradus 90. versùs alterutrum polum. Vt quidem satis intelligunt studiosi Magneticæ Philosophiæ, cujus principia tradidi in opusculis Mathematicis. Cùm autem hæc ita fieri videamus in qualitate magneticâ, probabile est legem eandem servari in aliis omnibus

nibus qualitatibus; nec ratio ulla est disparitatis. Nihil tamen certi haberi potest, unde improbetur sententia de uniformi difformitate servatâ proportione arithmeticâ: ut igitur hæc prætercam, confir. ista doctrina sequenti Tractatu, Disp. 4. c. 7. circa finem.

Dico consequenter III. Per se fieri semper majorem intensionem in minori distantiâ, seu in subjecto minùs remoto. Quòd enim sol *v. g.* beneficio corporis reflectentis, aut refringentis, fortiùs agat in remoto, quàm in propinquo; ut modò posteà exponam; contingit istud tantùm per accidens. Nempe sol corpus illud vel reflectens, vel refringens sibi subordinat, & cum eo simul & cum toto medio constituit agens totale unum majoris virtutis, unde sol ipse, positâ illâ conditione, producat effectum intensiorem in majori distantiâ. Nec effectus illius causa alia assignari potest.

Notabis etiam inde sequi, ut agens naturale, vel etiam in parte subjecti sibi proximâ, non possit qualitatem producere cum eâ perfectione quam in se habet. Confirm. Quia si calidum ut 4. potest in parte sibi vicinâ producere calorem ut 4; pars ista poterit consequenter & in aliâ parte sibi vicinâ similem calorem ut 4. producere, atque ita fiet processus in infinitum; nec agentia naturalia dicerentur habere sphæram determinatam activitatis suæ, cum uniformi difformitate; quod repugnat experientiæ.

Objic. Ergo agens naturale non assimilaret sibi passum, nisi intimè & penetrativè positum. ℞. Non assimilari quidem hoc modo perfectè in qualitatis intensione. Quanquam ignis *v. g.* producto calore in ligno, unde in ignem convertatur,

vertatur, sic perfectè suum effectum sibi assimilat, mediatè saltem.

Dico I V. Plures causæ rationis ejusdem, ut plures candelæ simul positæ, constituunt agens totale unum fortiùs, unde actio citiùs fiat, tum ad majorem distantiam, & majori cum intensione. Probatur experientiâ ipsâ candelarum, aut multorum ignium simul positorum. Sic integer scyphus aquæ meliùs restinguit sitim, quàm plures guttæ subinde solùm infusæ. Hucque refertur commune illud dictum; *virtus unita fortior est, seipsâ divisâ.* Ratio est, quia sic multæ simul causæ, mutuò sese juvant, fiuntque perfectiores saltem extensivè, etsi perfectionem intensivam non accipiant ab invicem.

Notandumque est 1. Effectum eundem sic indivisibiliter totum procedere à multis illis agentibus simul positis. Prob. Quia *v. g.* luminis major intensio in eâdem parte medii, non posset esse ab ullo ex iis agentibus, si seorsum sumeretur. Fitque etiam hoc pacto per accidens, ut agens debilius conjunctum fortiori, influat in effectum suâ virtute propriâ perfectiorem. At

Not. 2. Agentia ejusmodi naturalia plura, & plura in infinitum simul posita, non posse idcirco producere effectum majoris intensionis, quàm in ipsis reperiatur. Prob. Quia nulla potest esse major perfectio in effectu, quàm in causâ; siquidem tota perfectio effectus derivatur à causâ. Item

Not. consequenter 3. Quemadmodum densitas in agente naturali conferat ad majorem perfectionem effectus qui ab ipso procedit. Quia scilicet multitudo partium addensatarum habet rationem multorum agentium par-

tialium, quæ meliùs unita, conflent totale agens unum perfectius. Confirm. experientiâ. Quia ferrum duntaxat calidum ut 4. levissimo contactu adurit fortiùs fortiùsque agit, quàm flamma ipsa rarior, licet habeat calorem ut 8. Nam & impunè manus per flammam ejusmodi rariorem traducitur.

Dico V. Causæ naturales de se, id est, nisi interjecto aliquo obice impediantur, agunt semper actione directâ, seu per lineam rectam. Prob. experientiâ. Quamobrem excepto per astronomici quadrantis pinnulas solis radio, potes designare locum ipsius in cœlo, & sic de aliis. *Prob. ratione.* Quia cùm natura nihil faciat frustra, agit semper, & tendit ad terminum brevissimâ quâ potest viâ: linea autem recta, cæteris paribus, est brevissima omnium earum quæ ab uno puncto ad aliud produci possunt. At

Not. 1. Si qualitati per medium diffusæ occurrit corpus ultra quod nequeat propagari, aliam in partem reflectetur; diciturque hæc actio reflexa; *Consule Tabulam in fine libri appositam*; & adverte ad figuram 1. laterculi secundi. Tum in eâ quidem observabis primò, corpus reflectens seu speculum *b.* impediens ulteriorem propagationem luminis producti à sole *a.* Linea *a. b.* vocatur radius directus. Linea *b. c.* radius reflexus. Pars *b.* in quam veluti incidit radius directus, dicitur punctum incidentiæ. *C.* verò est punctum reflexionis. Angulus sub *a. b.* est angulus incidentiæ. Illi autem oppositus sub *b. c.* appellatur angulus reflexionis, qui semper est æqualis cum angulo incidentiæ; & sub quo solummodo videri potest objectum.

Figura secunda repræsentat speculum concavum,

vum, ex quo radii omnes reflexi concurrunt simul in unum punctum, quem idcirco vocant *focum*, quia in eo generari solet calor intensissimus, aut etiam ignis.

Not. 2. Corpus reflectens seu impediens propagationem luminis ulteriorem, vocari corpus *opacum*. Soletque definiri, corpus quod lumen à corpore lucido diffusum, aut species ab objectis visibilibus missas, intra se non admittit, trajectionemve impedit. Huic autem opponitur corpus *diaphanum*, seu *transparens*, quod specierum visibilium, aut luminis per medium diffusi trajectionem non impedit. Sed

Not. 3. Species visibiles, aut radios à corpore lucido transmissos per media diaphana inæqualis raritatis, aut densitatis, refrangi ad occursum corporis diaphani, aut rarioris, aut densioris; id est, non tendere ultra per lineam rectam, sed potiùs declinare in aliam partem; ubi tamen agitur de radiis obliquè incidentibus in superficiem illius medii raritatis, aut densitatis inæqualis; nam radius perpendicularis, seu qui perpendiculariter incidit, non patitur refractionem, sed rectè semper tendit. Exemplum habes in sole radios emittente per vitream lagenam aqua plenam; *ut in fig.* 3. in quâ vides radios post refractionem concurrere tandem ad perpendicularem certo in puncto, quod vocant *punctum refractionis*, in quo fit actio intensior. *Vide in Mathemat. Tract. De Opticâ. cap.* 5. hæc iterum fusiùs explicata.

Notandumque est obiter, puncto refractionis, vel reflexionis applicatam chartam albam, non comburi, quod albedo vires actionis illius veluti dissipet; contrà autem si fuerit nigra, aut pannus niger, &c.

DISPVTATIO V.

De Conditionibus ad agendum.

CAP. I. *Distinctio agentis, & passi; tum de actione per antiperistasim.*

P*Assum* illud dicitur, quod agentis actionem in se recipit; dubiumque est an debeat esse quid distinctum ab agente; an potiùs agens possit agere in seipsum, illaque distinctio sit conditio necessaria ad agendum.

Dico I. Agens quidem potest agere in seipsum indirectè actione vel perfectivâ, ut quando quis sibi alimentum sumit, unde conservetur; vel actione corruptivâ; ut sibi alimentum subtrahens, unde pereat. Atque ita calor naturalis in animantibus resolvens humidum radicale, in quo residet tanquam in subjecto, deperit consequenter, pereunte illo subjecto.

Dico II. Idem in seipsum, & secundùm eandem partem potest directè agere actione æquivocâ. Sic enim aqua reducit sese ad suum frigus. Sic anima in se suas facultates emanat. Sic intellectus, aliæque vitales potentiæ in se actus suos eliciunt.

Objic. Idem respectu ejusdem non potest esse actu, & in potentiâ; quia esse in potentiâ ad actum dicit privationem illius actus. *Dist.* Non potest quidem simul esse actu formali, & in potentiâ univocâ: potest tamen esse simul in potentiâ æquivocâ, & actu virtuali respectu ejusdem; quo pacto causa semper est in actu virtuali respectu effectus quem potest producere; nihil enim producit actu formaliter, nisi quod in se virtualiter contineat.

Inst. Idem posset movere seipsum, seipsum vide-

videlicet perficiendo. Quod repugnat Aristoteli; ex quo, *Quicquid movetur, ab alio movetur,* Dist. Ex Aristotele, quicquid movetur ad esse sui, (qui tamen est motus impropriè & latè sumptus) hoc sensu movetur semper ab alio. Quia quod generatur, necesse est illud ab alio generari. At potest aliquid moveri à seipso motu perfectivo & accidentali, nempe per emanationem, aut aliam actionem immanentem.

Dico III. Idem in seipsum, secundùm idem, agere non potest directè actione univocâ. Ita calor nequit seipsum intendere, &c. Prob. Quia calor ut quinque intendens seipsum, produceret calorem ut sex. Ergo daret id quod non habet; ageretque supra suas vires. Conf. Quia calor *v. g.* ut 4. subjecto proprio & naturali inexistens, subjectum ipsum destrueret, supra modum sese intendendo: quod repugnat, &c.

Objic. Lumen reflexum ad angulos rectos simulque veluti incidens cum radio directo, ipsum intendit. Ergo sic radius directus concurrens ad reflexum, hoc saltem modo seipsum intenderet. ℞. Sic agit tantùm in se indirectè & per accidens, quatenus est veluti instrumentum conjunctum cum sole, à quo, positâ hujusmodi conditione, producitur intensior ille effectus; ut posteà rursus explicabo.

Inst. 1. Calor & frigus per antiperistasim, id est, ad circumobsistentiam agentis contrarii, sese intendunt. Nam perfectionem acquirunt majorem, quæ aliunde oriri non potest: siquidem à qualitate contrariâ circumobsidente potius destrueretur. Sic fontes in æstate redduntur frigidiores; & aër in cavernis evadit calidior, unde & ipsæ cavernæ fumant. Est autem *antiperistasis* vox Græca, significans contrarii cir-

 cum-

cumobſeſſionem; docetque Ariſt. intenſionem per antiperiſtaſim fieri potiſſimùm in calidis, & frigidis At

Dico IV. Fit illa intenſio præcipuè duobus hiſce modis. Ac primò quidem fit, quando agens contrarium impedit ne ſpiritus intus concluſi erumpant, diffluantque. Quo pacto in hyeme frigus conſtringens poros corporis, impedit ne ſpiritus effluant, unde redditur calor ſtomachi intenſior, citiúſque coquuntur cibi. Sic etiam frigus conſtringens terram, impedit ne exhalationes erumpant, quamobrem aër in cavernis magis incaleſcit, atque inſtar fumi cujuſdam, inde prodeunt halitus, qui etiam fontanis & putealibus aquis permixti, calidiores illas efficiunt. Contrà autem (qui ſecundus eſt modus hujuſce rei explicandæ) calor æſtivus circumobſiſtens efficit ut exhalationes calidæ, quâ datâ viâ, laxatis Terræ poris erumpant liberiùs; unde aquæ puteales & fontanæ ſibi relictæ, & impermixtæ illis exhalationibus, proprium frigus emanant, adeóque redduntur in æſtate frigidiores. Item, calx viva, ubi aqua infunditur, ſolet exardeſcere; quia ſpiritus ignei intus concluſi hoc modo continentur ne diffluant, tum mutuò ſeſe ad invicem allidentes, majorem acquirunt raritatem, unde coguntur erumpere, aquam ipſam calefaciendo cum ingenti ebullitione.

CAP. II. *Diſſimilitudo agentis & paſſi.*

DIco I. Cum Ariſtotele, ſimile ſecundùm ejuſdem qualitatis gradum, in aliud ſimile non poteſt agere actione perfectivâ, ipſum videlicet intendendo. *Prob.* Quia non eſſet potior ratio cur unum diceretur potiùs pati, quàm aliud.

aliud. Conf. Quia si calidum ut quatuor, diceretur agere in aliud calidum ut quatuor, ipsum intendendo, deberet in eo producere quintum caloris gradum. Ergo sic ageret supra suas vires, daretque id quod non habet. Item, duo calida remissa possent mutuò sese perducere ad summum intensionis gradum.

Dico II. Non potest etiam agere in aliud simile actione destructivâ. Prob. Quia calidum hujusmodi in alio calido non posset producere nisi calorem, quo potiùs perficeretur; tantùm ergo abest, ut sequatur ejus destructio.

Objic. 1. Major ignis extinguit minorem. Ergo simile agit in simile. *Dist. Ant.* Extinguit directè, *N.* Indirectè, absumendo ipsius pabulum. *C.*

Inst. 1. Cùm duo vitra se mutuò collidunt, tunc simile agit in simile. ℞. Habere tunc contrarios impetus, & sic in impetu saltem sunt dissimiles.

Inst. 2. Speculum unum, speciem ab objecto aliquo receptam, in speculum aliud simile transmittit: ergo, &c. ℞. In eo primum speculum est alteri dissimile, quòd speciem receperit, quâ careat alterum.

Inst. 3. Agens densum, puta ferrum calidum ut 4. fortius est quàm aliud calidum ut 4. maximæ raritatis; ergo ipsius calorem potest intendere. *Dist. Ant.* Fortius est quatenus propter densitatem potest producere intensiorem effectum, intra limites propriæ intensionis, non autem quòd possit limites illos transgredi. Nam densitas non auget virtutem in actu primo, sed tantùm facit, ut agat fortiùs, quemadmodum ajebam supra *Disp.* 4. *c.* 4. *Assert.* 4.

Inst. 4. In ingenti igne partes remotiores

agunt in propinquiores, unde ab illis simul sumptis vehementior producatur calor ad extra: vel certè remotiores illæ dicerentur agere in distans sine medio, quod posteà refutabitur. Ergo simile agit in simile; nam partes illæ ignis calorem ejusdem intensionis omnes habent. ℞. Non agunt in illas, sed potiùs cum ipsis constituunt unum agens totale; ut capite sequenti sub finem explicabo.

Inst. 5. Aër frigidus aquam similiter frigidam conglaciat, in eâ frigus intensius producendo. Ergo simile hoc pacto agit in simile. ℞. Aquam sub summo frigiditatis gradu servare connaturalem sibi fluiditatem: ergo non ex eo præcisè durescit in glaciem, quòd majorem frigoris intensionem accipiat; sed tantùm quòd multas exhalationes siccas intra se admittat.

Objic. 2. Virtus magnetica unius magnetis perimit similem virtutem in alio magnete; ut patet experientiâ. Ergo, &c. ℞. Polos magneticos ejusdem respectus habere contrarietatem, unde sese mutuò perimant, ut tradidi in Mathematicâ; ubi de Magnetismo Terræ.

CAP. III. *Agentis & passi indistantia; tum de concursu medii, &c.*

ILla indistantia, idem est ac immediatio, seu præsentia, aut propinquitas, & contactus agentis & passi. Ac præsentia quidem illa & immediatio potest fieri duobus modis. Primò, ratione suppositi; quando scilicet causa ipsa per suammet entitatem ac substantiam est præsens passo. 2. Ratione virtutis, quando subjectum ipsum distans attingit tantùm per virtutem à se diffusam. Quo pacto sol dicitur esse imme-

immediatè præsens Terris, immediatione virtutis per suum lumen. Qui etiam dicitur *contactus virtutis*, ut distinguatur à contactu mathematico, per quem duo corpora contigua sibi ad invicem applicantur. His suppositis,

Dico I. Ex doctrinâ D. Thomæ contra Scotum: Causa in passum seu subjectum distans agere non potest, non agendo per medium. Prob. Quia nulla res agit nisi ubi est, vel ratione suppositi, vel ratione virtutis per medium diffusæ. Nam agere sequitur ad *esse*; comparanturque inter sese agens & patiens, tanquam perfectivum & perfectibile. At perfectibile nullum à perfectivo recipit perfectionem, nisi applicetur ipsi; quomodo per proportionem materia non perficitur à formâ nisi intimè ipsi applicatâ. Atqui causa subjecto distanti applicari non potest nisi servatâ illâ conditione. Confirm. 1. Quia alioqui nulla ratio afferri posset, cur agentia naturalia suam habeant sphæram activitatis, nisi dicantur hoc pacto conjungi cum subjecto distante. Item, nulla ratio afferri posset, cur natura tantopere vacuum refugit, nisi ut inferiora per cœlestes influxus perficiantur. Conf. 2. Quia sic agerent independenter à medio, & consequenter possent agere ad quamcunque distantiam; posset res vel minima videri à nobis etiam ex longissimis intervallis. *Nec dicas*, servari nihilominus aliquam propinquitatem. *Contrà enim est*, siquidem servatâ eâdem propinquitate, ubi aliquod obstaculum interponitur, cessat nihilominus actio: ut constat in illuminatione à sole. Confirm. 3. Ex communi sententiâ Theologorum, qui inde probant Dei præsentiam in rebus, quòd ab eo producantur, & jugiter conserventur directè atque im-

immediatè, immediatione suppositi, juxta illud Act. 17. *In ipso vivimus, movemur, & sumus.* Unde si per suam immensitatem non esset ubique substantialiter præsens, etsi habeat vim agendi infinitam, non posset tamen agere in distans sine medio. Quod autem ajunt de mutuâ locutione Angelorum etiam longè distantium: item, quomodo crucientur ab igne inferorum ii dæmones, qui in superioribus istis regionibus versantur; illud explicui in Metaphysicâ De Angelis.

Dico II. Medium per quod agens naturale attingit subjectum distans, esse plerumque qualitatem, vel *sensibilem*, seu quæ percipitur aliquo sensu; cujusmodi est lux à sole, aut calor ab igne; vel *occultam*, quæ scilicet nullo percipitur sensu; qualis est magnetica, per quam aut attrahitur, aut repellitur ferrum. Nam profluere à magnete qualitatem occultam, vel ex eo constat, quòd ferrum magneti affricatum, similem attrahendi ferri virtutem concipiat; neque illud aliunde potest contingere, quàm à qualitate magnetis relictâ in ferro.

Notandumque est, causam à quâ diffunditur qualitas per medium, vocari *agens principale*, à quo effectus procedit primariò, cùm secundariò duntaxat procedat à *medio*, seu à qualitate per quam corpus interjectum, puta aër, elevatur ad rationem medii activi, respectu talis effectus. Sed

Dico III. Medium hoc modo non agit nisi ut *instrumentum conjunctum*, non autem ut *separatum*. *Prob.* Quia alioquin lumen per foramen immissum intra cubiculum, non illuminaret solùm in lineâ directâ, sed etiam sphæroïdes, perinde ac alia agentia naturalia, quæ per se & separatim agunt. Quod enim secundarium lumen

ab eo producitur, non est ejusdem intensionis, cum eo quod producitur in lineâ directâ intra eandem distantiam. Item, eam ob causam calor directè profusus ex ore fornacis, magis est activus, quàm qui ad latera percipitur. Item, species impressa quæ funditur ab objecto visibili, non repræsentat objectum, nisi in lineâ directâ; ergo non agit nisi ut *medium conjunctum* cum agente principali à quo diffunditur; nam istius rei causa hæc sola esse potest.

Notandum verò est, medium & agens principale esse veluti causas partiales, quæ simul efficiunt unum agens totale; siquidem ubi separatim sumerentur, eodem modo non agerent. Item,

Not. 2. Vt agens principale faciat unum agens totale cum medio, non est necesse ut in ipsum medium exerceat aliquam efficientiam, si modò sit in medio virtus sufficiens, quæ simul possit coagere. Sic in sole, aut in ingente igni, partes remotiores agunt ad extra cum partibus propinquioribus, non agendo in illas propinquiores, siquidem simile hoc pacto non agit in simile. Item, ut agens principale agat in passum distans, satis est ut corpus intermedium faciat cum illo *passum totale*, simul etiam patiendo. Sic enim sufficienter servabitur immediatio agentis & passi ad agendum requisita.

CAP. IV. *De vario genere qualitatum, per quas explicari potest actio in distans.*

MVlta in hoc genere vulgò jactantur fieri per sympathiam, aut antipathiam; item, per aliquam spirituum transmissionem, aut per qualitates occultas, & specificas. Quæ quidem ut intelligantur:

Suppono 1. Sympathiam esse mutuam diversorum ad invicem consensionem & inclinationem à naturâ insitam. Contrà autem, antipathia est naturalis dissensio ab invicem: hæc autem per occultas qualitates, aliisque modis exerceri, postea ostendam.

Suppono 2. Præter calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem, quæ vocantur *manifestæ* qualitates, quia sensibus percipiuntur, ut capite superiori ajebam; suppono inquam, alias esse insensibiles, quæ ideo vocantur *occultæ*, nec deprehenduntur nisi per effectus ab ipsis profectos. Item vocantur & specificæ, quia certæ speciei corporis naturalis addictæ sunt. Tales sunt apud Medicos *catharticæ*, id est, purgantes, unde & medicamenta cathartica: Item *smecticæ* seu abstersivæ; item *causticæ*, quæ nimirum vim habent adustivam; item, *narcoticæ*, quibus stupor ac torpor inducitur. Item, aliæ dicuntur virtutes *diureticæ*, & ad movendam urinam idoneæ; aliæ *deleteriæ*, seu mortiferæ, quia calorem nativum extinguunt, &c. Certè, si hæc fierent tantùm manifestis qualitatibus, seu per excessum primarum qualitatum, cur aqua pura, cur piper, cur vinum sublimatum, seu aqua vitæ, cur spiritus sulphurei, inter deleteria non numerarentur? cùm intùs accepta generent sæpe aut calorem, aut frigus majoris intensionis. Sic mercurius seu hydrargyrum per propriam virtutem specificam auro adhærescit, ipsumque pervadit, fugat à corde malignas qualitates, ubi ex collo suspenditur; tum etiam pedum plantis illitum, videtur colliquare omnes corporis humores, qui per os diffluunt, luem curando. Hujusmodi etiam occultæ virtuti adscribendum foret, quod narrant histo-

historici de Remorâ, seu Echeneïde, si quam veritatis haberet speciem. Sed navi prætoriæ Antonii, aut quinqueremi Caligulæ retinendæ vim parem obtinere non potuit tam exiguus pisciculus ibi fortuitò compertus; potestque aliâ ratione servari fides historiæ; si nimirum dixerimus istud contigisse ex aquis occurrentibus, aut ex maris æstibus contrariis; cùm sæpenumero naves onerariæ in mari Siculo secundis impulsæ ventis, mediis in fluctibus hac ratione consistant; uti quidem vulgò ferunt. Sed his prætermissis,

Suppono 3. Plerisque hujusmodi qualitatibus specificis inesse vim aut attractivam, aut expulsivam. Sic bufo seu rubeta sole exsiccata, ubi tuberibus pestiferis applicatur, humorem noxium attrahit, ægrumque sanat. Sic medetur morsibus aranei impositus araneus; sic plagam à se inflictam curat Scorpius; sic apum aculeos mel etiam sanat; sic morsum viperæ, caro viperina quam æger comederit; sic terrestre virus serpentes, aquaticum dipsades; aërium araneæ duplici officio attrahunt, dum sibi consulunt; nam iis cedit in alimentum, tum à nobis quod foret detrimento, avertunt. Ita erucæ, papiliones, aliáque id genus insecta, dum plantis ac fructibus insident, per qualitates sibi proprias noxia exugunt; quemadmodum de innumeris aliis observat Kircherus.

Notabis autem, nihil hîc dici à me de virtute magneticâ (quæ inter qualitates specificas atque occultas locum facilè principem obtinet) quia in Mathematicâ, *Tract. de Sphærâ Terrestri, ubi de Magnetismo Terræ*; proprietates illius, ac effectus planè mirabiles prosecutus sum. Ex iis enim intelligere est, cur magnes & ferrum, aut magne-

magnetes inter se vel diffideant, vel consentiant. Quomodo illa qualitas simul sit attractiva & directiva. Quomodo simul in omnibus subjecti sui partibus existat quasi indivisibiliter cum virtute bipolari, utroque polo simul dissentiente; nec habeat magnes suæ illius virtutis centrum, nisi in circunferentiâ; duoque centra oppositæ virtutis contineat in eadem circunferentiâ. Ibi præterea causam assignamus, cur magnes plus valeat ferro armatus, quàm inermis. Cur ipsi ferro tribuat vim majorem, quàm ipse exerat. Cur ferrum magneti eripiat ferrum aliud. Cur eidem polo affricatæ acus contrariam inter se virtutem hauriant. Cur poli dissimiles tantùm sint amici. Cur polus tertius duobus amicis interveniens, eorum amicitiam impediat, neque in magneticis amici esse possint nisi duo, qui tamen tendant in oppositas mundi partes. Cur se erigat acus in polis oppositis secundùm oppositas partes. Cur unius poli virtus ab alio polo, aut etiam per contrarium motum destruatur, &c. Atque his suppositis tradi facilè poterit ratio multiplex explicandæ actionis in distans.

CAP. V. *Varii modi explicandæ actionis in distans.*

DICO I. Actio in distans perficitur interdum beneficio qualitatis occultæ & specificæ; ut contingit inter magnetica. Quâ etiam ratione testudo marina piscatoris brachium stupefacit. Ita serpens Americanus, quem ob ingentem magnitudinem appellare *trabem* solent, prætereuntem cervum vi halitus à se profusi constringit attrahitque, dum postea integrum illum degluttiat, solo capite & cornibus relictis. Sic vetulæ

tulæ quædam aut tactu, aut visu pueros & animalia fascinant, juxta illud Poëtæ:

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Vt enim certis hominibus humores benefici cum afflatu suavissimi odoris à naturâ sunt insiti, quod de Alexandro Magno narrat Plutarchus; sic reperiuntur nonnulli qui ex pravo corporis habitu vim maleficam, & noxios spiritus, instar jaculi cujusdam veneno illiti, vel ipsis oculis evibrant; quo affecti contabescunt. Quod fascini genus inesse vetulis solet, ob majorem humorum corruptionem, quam ut plurimùm contrahunt vel ex defectu caloris nativi, vel ex menstruo sanguine. Scribitque Plinius, extitisse olim in Africâ totas fascinantium familias. Iam verò quòd per oculos transmitti possint noxiæ qualitates, aut spiritus qui alios perimant; probatur ex mulieribus, quæ tempore menstruorum specula inficiunt maculis quibusdam veluti sanguineis. Quinetiam solo aspectu cætera animalia enecat serpens basiliscus, ut vulgò commemorant. Nec meritò fidem huic historiæ denegabit Martinus Delrio, quòd per actionem videndi, cùm sit immanens, hæc præstari nequeant: non enim dicimus hæc fieri per actionem videndi, sed tantùm per oculos intuentium evibrari noxias exspirationes illas, concurrente imaginatione, spiritus ad oculos evocando. Hîc autem agimus tantùm de naturali fascino, non de eo quod ope dæmonum à veneficis mulieribus & sagis perficitur.

Dico II. Sic etiam sympathia, aut antipathia exercetur in distans. Hoc enim modo ex palmis mas & fœmina sese mutuò fovent, pereuntque idcirco ubi transplantantur; Contrà autem, vitis

vitis quæ claviculis res alias omnes ſtringere & amplexari ſolet, à caulibus braſſicisque, ſi prope ſata ſint, inquit Cicero, tanquam à peſtiferis & nocentibus refugit. Cantharides vel manu tractatæ perniciem veſicæ afferunt ſæpe, lotiumque reddunt ſanguinolentum. Medicamenta virtute ſtomachi veluti imprægnata & excitata, humores ad ipſum ſtomachum, quaſi ad commune totius microcoſmi penarium colligunt, indéque in inteſtina tanquam in ſentinam devolvuntur; quos tandem natura ſimul cum medicamentis, ut pernicioſos ſibi hoſtes propellit in ſeceſſum.

Quòd autem accidat plerumque ex aliquâ veluti antipathiâ, ut cadaver occiſi hominis effundat ſanguinem ad præſentiam illius qui perpetratæ cædis eſt reus, difficile eſt cauſam illius effectus naturalem aſſignare; ſatiuſque eſt recurrere ad ſpecialem Dei concurſum, qui in eâ circunſtantiâ velit hoc modo prodere homicidam, ut debito ſupplicio afficiatur.

Item, quod ajunt pulverem ſympathicum ſanare vulnera hominis procul diſtantis, cùm iſtud naturæ legibus repugnet; nihil ſupereſt, niſi ut dicamus rem eſſe aut ſtultitiæ, aut ſuperſtitionis pleniſſimam. Huc revocandum eſt quod vulgò jactant de variis muſicæ effectibus, aut ſympathicis, aut antipathicis. Cùm enim de ſe tota ſit ad hilaritatem comparata, ideo dicitur eſſe in luctu importuna narratio. Quia tamen aliunde contraria curantur contrariis, ubi aures demulcet, recreatque ſpiritus animales inertiâ veluti quadam ac torpore laborantes, tunc diſcutitur vapor melancholicus, quo ſenſuum internorum organa tenentur obſeſſa; ſicque melancholicos, ac furioſos, immò & ipſos

ipsos energumenos sanat, cùm istos animi affectus captare soleat dæmon, & eorum beneficio in homine dominari. Hoc quippe testatur sacra scriptura de Saüle, quem ab infesto ejusmodi spiritu liberabat David cytharam percutiendo. Verùm, ut longiori Tractatu describit Kircherus, enitet maximè in curando Tarantismo vis musicæ. Sciendumque est ad Tarentum Apuliæ civitatem in Italiâ, sub æstivos menses nasci phalangiorum seu araneorum genus quoddam, Tarantulas à regione vocant incolæ; cujusmodi phalangia si quos momorderint, tum morsu inditum venenum diffunditur per totum corpus, ex quo affectus oriuntur prorsus exotici. Nam ex Tarantiacis, seu ictis à Tarantula, alii miserabilem in modum sese risu enecant, alii furiosorum instar debacchantur, contabescunt alii, alii obrigescunt, dum tandem ingravescente vi morbi intereant. Huic autem malo præsentius remedium nullum est, quàm musica certâ ratione decantata, pro diversitate paroxismi quo vexatur æger: hac enim excitatus tandiu saltando corpus agitat, dum solutis poris, venenum omne diffluxerit. Notandumque est aberrare illos qui scribunt morbum hunc tam exitialem vigere tantùm vivente Tarantulâ, quæ absentes etiam torqueat; nam brevioris est vitæ Tarantula, perinde ac muscæ, bruchi, aliáque insecta, cùm tamen ad multos annos subinde statis vicibus laborent Tarantiaci.

Dico III. In viventibus, actio in distans propter sympathiam aut antipathiam, fit sæpe ex naturali instinctu & præviâ apprehensione rei aut amabilis, aut fugiendæ. Sic amor inclinationis, ut vocant, in nobis nascitur; sicque ex solo alterius conspectu nonnunquam tam dirus ardor

ardor, & tam exoticus animum subit; unde & quasi fascinatus videatur. *Vt vidi, ut perii:* inquit Poëta. Sic ovis ubi in lupum occurrit solet perhorrescere. Sic inter lusciniam & serpentem tanta exercetur antipathia; ut eam ob causam luscinia dumeta & vepres amet, cùm hæc loca vitentur à serpentibus. Item, luscinia pavonem quærit, quia juxta hunc secura latet, cùm pavo sit formidabilis serpentibus; alioqui si luscinia serpentis in conspectum se dederit, terribili faucium hiatu, & oculorum fulgore illius attonita sic obstupescit, ut viribus destituta ex arbore decidat, fiatque hosti præda. Quod mustelæ eodem etiam ferè modo evenit, cùm incidit in bufonem. Bufoni autem perinde est infesta aranea; ipsique suo morsu, ac veneno mortem infert: unde conjicias araneam bufoni præstare quoad vires veneni.

Pertinet quoque ad istud caput, problematis illius explicatio; cur scilicet oscitante aliquo, ut plurimùm provocemur ad oscitationem. Rationem hanc vulgò proferunt ex Arist. quia tunc in nobis excitatur memoria & appetitus illius boni, quod per oscitationem comparatur. Sic enim ex musculis vultus excutitur vapor aliquis iners, qui vel morbo, vel defatigatione, vel tædio in iis partibus contrahitur.

Dico IV. Multa præterea sunt problemata de actione in distans, quæ sine motu locali nequeunt explicari. Primò. Cur, ubi imponitur igni lebes aquæ plenus, superiores partes calidæ fiant, frigente fundo. Ratio est, quòd ubi pars aquæ ad fundum calorem concepit, indéque levior facta est, statim ascendit, superiori, quæ frigidior graviorque est, descendente. Quamobrem apparet in aquâ ipsâ quasi motus circularis

laris partium infimarum ac supremarum, dum tota penitus calida fuerit.

2. Cur chorda musici instrumenti resonans, distantem aliam concitet, quæ sub eodem tono fuerit extensa. ℞. Quia commotus aër sonum deferens, in chordam eodem modo præparatam incurrit. Idemque contingit in chordâ quæ octavam reddit; neque enim hæc differunt nisi in acuto & gravi sono, censenturque veluti eadem chorda repetita; unde pueri, & mulieres, ubi cum viris rem eandem decantant, facilè cum iis octavas efficiunt.

3. Vnde ille horror quem sentimus ex stridore ferri, etiam distantis. ℞. Nascitur ex eo quòd ubi sonus ille stridulus membranam auditus offendit, hæc sese contrahat simul cum nervis, qui ad dentium radices pertingunt. Quo in casu spiritibus destituuntur, unde frigus ad dentium radices illas incidens horrorem ingenerat.

4. Quomodo araneus fila traducit ex unâ arbore ad aliam, aut ad locum alium sibi inaccessibilem. ℞. Araneum ex filo pendentem tandiu librare sese, dum levioris alicujus venti beneficio ad oppositas partes deferatur, illisque adhærescat.

CAP. VI. *De excessu virtutis activæ requisito ad superandam passi resistentiam.*

Resistentia ut sic, est impedimentum actionis ne fiat; vel est retardatio ne tantâ cum celeritate, aut intensione fiat. Illius autem est genus duplex. Nam altera dicitur resistentia negativa; quando subjectum propter incapacitatem, ab alio pati non potest. Ita res incorporeæ dicuntur resistere negativè actioni agentis cor-

corporei; quo pacto Angelus negativè resistit divisioni sui, aut receptioni quantitatis per quam fiat extensus modo corporeo. & divisibili. Altera est resistentia positiva, per quam realiter & positivè actioni agentis alicujus resistitur. Cujusmodi reperitur inter contrarias qualitates. Hæcque est duplex; passiva scilicet, seu formalis; tum activa.

Resistentia formalis seu passiva, est ipsa formæ inhæsio in subjecto, per quam habet incompossibilitatem cum aliâ formâ ipsi oppositâ. Cùm enim, ex communi sententiâ juxta Aristotelem, non possint nisi octo gradus ejusdem contrarietatis consistere in eâdem parte subjecti, necesse est ut ad productionem alicujus contrariæ qualitatis, tot successivè gradus oppositæ qualitatis corrumpantur; quare sic *v. g* calor resistit frigori, quatenus impedit quominùs totum simul producatur in tali subjecto, cùm successivè tantùm & gradatim ipse destrui queat.

Resistentia autem activa, est vis agendi per quam agens naturale resistit contrario, sive illud debellando, sive proprias qualitates in se emanativè conservando; quo pacto & resistentia formalis juvatur ab activâ.

Notandumque est diligenter, vim illam activam agentium naturalium majorem esse in conservandis gradibus remissis, quàm intensis. Ratio est, quia ignis *v. g.* in octavo gradu caloris conservando, agit ex totâ & adæquatâ virtute, totamque, ut ita loquar, potentiam suam in eo exhaurit. Contrà autem, in gradibus remissis conservandis agit per virtutem excedentem, adeoque fortiùs illos conservat. Quemadmodum si quis homo validus ut 8, trahat pondus ut 8, tum agit per virtutem adæquatam, nec tam

facilè

facilè potest resistere adversario renitenti, quàm si traheret solùm pondus ut 2. Item

Not. 2. Quando virtus activa est æqualis cum resistentiâ passi, tunc habitudo illa vocatur *proportio æqualitatis.* Sin virtus activa minor est, dicitur *proportio minoris inæqualitatis.* Contrà autem si fuerit major, est *proportio majoris inæqualitatis.* At his præmissis,

Dico I. Vbi est superanda contraria qualitas, non est necesse ut virtus agentis superet vim activam passi; immò patet experientiâ glaciem frigidam fortè ut 7, calefieri nihilominus, & resolvi à calore manus intenso tantùm ut 3. At

Dico II. Debet saltem superare ipsius resistentiam formalem, seu passivam. Quo pacto vulgò ajunt actionem hujusmodi esse à proportione majoris inæqualitatis. *Prob.* Quia nihil superatur nisi à fortiori, non autem ab inferiori, aut æquali. Quinetiam

Dico III. Excessum illum virtutis activæ non esse quemcunque, sed aliquem saltem determinatum. *Prob.* Quia agentia naturalia simpliciter non agunt, nisi sub determinatâ aliquâ perfectione virtutis activæ; alioquin afferri non posset ratio, cur sphæram activitatis in infinitum propagare nequeant, nisi quòd extremæ illius sphæræ partes non sunt satis activæ; ergo à pari etiam requiritur excessus aliquis determinatus supra resistentiam passi, ut superari possit.

Notabis autem tunc dici actionem *victoriosam*, putà ignis, quando contrarium ipsum prorsus absumit, & in ignem convertit.

CAP. VII. *De Reactione.*

Reactio est actio reciproca seu mutua, per quam passum eo ipso tempore quo patitur

ab agente aliquo, saltem secundùm aliquam sui partem, secundùm eandem etiam partem in ipsum agens reagit, & quasi par pari refert. Et alteri quidem ex duobus istis quod fortius est, tribuitur nomen *agentis*, alteri autem nomen *patientis*, seu *passi*.

Verùm, etsi omne agens naturale non repatiatur ab alio; certum tamen est ex quotidianâ experientiâ, frequentissimam esse reactionem inter agentia naturalia. Primò enim si glacies manu calidâ contrectetur, simul glacies calore manus liquefiet, simulque manus frigefiet ab ipsâ glacie. Ita, si aqua calida frigidæ permisceatur, aut ferrum candens in ipsam immergitur, simul aquam calefacit, simulque ab aquâ frigefit. Item, cibus alterans stomachum, vicissim à stomacho immutatur. Aër aspiratione ductus refrigerat pulmones, & vicissim ab iis incalescit. Item, vasa vitrea mutuò collisa, sese mutuò frangunt; culter lignum secans, à ligno retunditur, &c. Sed hîc agitur potissimum de actione & reactione inter qualitates contrarias; cujusmodi semper fit in generatione mixtorum, dum qualitates elementares sese mutuò refrangunt; nihilque impedit quominus de facto reperiatur inter ejusmodi contraria. Nam calidum ut 8. *v. g.* agens in frigidum etiam ut 8. facilè potest ipsius resistentiam formalem superare, producendo in eo primum caloris gradum, per quem expellatur frigoris gradus octavus. Nam ille octavus gradus resistit tantùm ut unum, siquidem conservatur tantùm à virtute adæquatâ: cùm è contra, primus caloris gradus, in illâ hypothesi, inducatur per virtutem excedentem septem gradibus. Et sic per proportionem de aliis.

Objic. Si quæ esset reactio inter elementa, maximè contingeret inter ignem & aquam; cùm hæc opponantur per qualitates maximè activas. Atqui ex Arist. 2. *De partib. Anim. c.* 2. ignis frigefieri non potest: unde sequitur eum nec repati. ℞. Non frigefit quidem sensibiliter, ex defectu sufficientis densitatis quæ in eo reperiri non potest. Vel certè, *transeat*, quanvis frigefieri non possit, quæ est propria ipsius natura; non inde sequitur inter calidum alterius naturæ, & frigidum non reperiri reactionem. Neque *ignis* hoc loco supponitur nisi ad exemplum *calidi*, abstrahendo à rei veritate.

Inst. 1. Si datur reactio inter contrarias qualitates, agens univocum non poterit unquam sibi assimilare passum. ℞. Non assimilabit perfectè, nisi ubi fuerit actio cum victoriâ.

Inst. 2. *Consule tabulam in fine hujus libri affixam*; fiatque hypothesis juxta primam & secundam figuram primi quadranguli. Nempe sit calidum *B.* primæ fig. & frigidum *A.* quod quidem frigidum non reagat nisi in partem *d* dicti calidi, quæ idcirco vocatur *pars repassa.* Pars autem *c* vocabitur pars *non repassa*; totum agens *b* dicitur *agens principale*; quomodo ex opposito frigidum *a* vocatur *passum principale.* His autem suppositis, sic argumentor. Si datur reactio, sequetur idem secundùm idem moveri motibus per se contrariis; seu gradum eundem frigoris producti in parte repassâ simul fieri & corrumpi; sicque esse simul & non esse; quod implicat. *Prob. sequela antecedentis.* Quia quo tempore producetur à passo principali, simul debebit corrumpi à parte non repassâ; quæ nimirum sufficientem ad id potentiam habeat, sitque illi sufficienter applicata; immò cùm totum

agens principale *b* agat in passum *a*; necesse est ut pars *c* tunc agat in partem *d*, ne dicatur actio illius fieri in distans sine medio. Istud fuit argumentum Ioannis Suisseti, qui eam ob causam cognominatus est *calculator*. ℞. 1. Partem non repassam simul quidem agere cum parte repassâ, & facere cum eâ unum agens totale; neque idcirco necesse est, ut in illam agat, quemadmodum supra docui sub finem capitis 3. Item, ℞. 2. Primum illum gradum frigoris productum in parte repassâ, non posse destrui à parte non repassâ, quandiu conservabitur à passo reagente; sic enim conservatur per vim activam excedentem pluribus gradibus; nec posset expelli, nisi ad productionem octavi gradus caloris, qui non potest introduci, nisi per virtutem adæquatam; uti colligere est ex doctrinâ capitis superioris. Non ergo destruetur ille gradus, nisi remoto, vel prorsus debellato passo principali reagente.

Inst. 3. In illâ hypothesi, saltem aër intermedius moveretur motibus per se contrariis, simul calorem recipiendo ab agente principali, tum simul frigus à passo reagente. ℞. Aër intermedius, quatenus habens calorem sufficientem, faceret unum agens totale cum agente principali; tum aliunde quatenus frigidus, faceret agens totale cum passo reagente; vel saltem faceret unum totale passum cum ipso passo principali.

DIS-

DISPUTATIO VI.

De Producibilitate Rerum.

CAP. I. *An effectus idem sit producibilis totaliter ab agentibus diversis ejusdem ordinis.*

S*Vppono* idem à seipso, secundùm se totum primò produci non posse. Nam sequeretur idem seipso esse simpliciter prius, & simul posterius; siquidem causa est prior effectu. Dixi, produci secundùm se totum; nam animal, aut planta, dum ex intus suscepto alimento nutritur, videtur sic à se accipere esse secundùm aliquid sui. Dixi, primò produci; ut abstraham ab eâ quæstione, an res aliqua saltem supernaturaliter seipsam possit reproducere.

Suppono 2. Rem eandem posse causari totaliter à pluribus simul causis generis diversi. Quia de facto rana simul totaliter causatur à materiâ, in genere causæ materialis; à formâ, in genere causæ formalis; à sole & ranâ sui productiva, in genere causæ efficientis. &c. Nam singulæ illæ causæ in suo genere sufficiunt. Habes autem ex Disp. 1. c. 3. *quid sit causa totalis.*

Suppono 3 Effectum eundem posse totaliter pendere, seu produci ab agentibus diversis, ordinis diversi. Sic enim rana totaliter producitur ab aliâ ranâ, tanquam à causâ particulari; tum simul à sole & à Deo, tanquam à causis universalibus. Sic idem totaliter effectus est à causâ instrumentali, tum simul à principali, tanquam à diversis totalibus causis in suo ordine. Item,

Suppono 4. Effectum eundem posse indivisibiliter totum simul produci à diversis agen-

tibus, etiam ejusdem ordinis partialiter concurrentibus, & simul constantibus eandem causam totalem. Sic enim lumen idem à diversis candelis simul positis; aut calor idem à diversis carbonibus simul conjunctis, efficienter procedit. Item,

Suppono 5. Agentia naturalia etiam particularia continere in suâ virtute activâ possibiles effectus plures, & plures sine termino, & in infinitum. Ita enim sol per totam æternitatem produceret semper nova lumina. Intellectus idem novas semper cogitationes; ignis idem novos ignes, &c. Quanquam non inde sequeretur idcirco possibiles *v. g.* intellectiones omnes ab eodem intellectu produci posse: quomodo per proportionem quantitas hæc pedalis non continet partes quantitatis omnes possibiles, licet contineat possibiles in infinitum, ut sequenti tractatu explicabitur. At nihilominus

Dico I. Causa univoca continet in suâ virtute activâ possibiles effectus omnes ejusdem secum rationis; &, quantùm est de se, potest illos producere; unde consequenter ignis *A.* potest producere ignes producibiles ab igne *B.* & sic de aliis. Prob. Quia nihil impedit quominus id fiat; ut patebit ex solutione objectionum. Confir. Quia ignis *A.* potest concurrere cum igne *B.* ad productionem ignis, aut caloris *C.* Ergo sic eosdem effectus in suâ virtute activâ continent. Item calor *C.* productus totaliter ab igne *A.* potest directè & immediatè conservari ab igne *B.* quod est in ipsum jugiter influere idem esse: ut habetur in Disput. 3. cap. 2. Ergo illum effectivè in suâ virtute activâ continet. Certè potest saltem supernaturaliter assumi à Deo ad productionem ejusdem effectus; ergo illum vir-

virtualiter in se continet, nihil enim dat quod non habet. Item, ex doctrinâ *de continuo*, cùm idem ignis sit divisibilis in infinitum in varios ignes, sequeretur in quolibet igne, secundùm diversas ipsius partes, contineri series effectuum diversorum ejusdem rationis diversas in infinitum; quod per se absurdum est. Iam verò consequenter

Dico II. Contra Thomistas. Idem effectus à diversis causis ejusdem generis, & ordinis dependere potest totaliter, seu totaliter produci viâ supernaturali. Prob. Quia nihil repugnat; siquidem effectus productus *v. g.* ab igne *A*, continetur idem, & sub eadem perfectione in igne *B*. Ergo sic potest produci ab iis, sive ponantur divisim, sive conjunctim.

Notandumque est, hîc sermonem esse maximè de causis univocis, quæ quidem, cùm ex naturâ suâ tales sint, ut sese mutuò juvent ad agendum, debent aliæ aliarum effectus in suâ virtute activâ continere. At

Dico III. Si duæ causæ ejusmodi ponantur conjunctim, non possunt viâ naturali singulæ totaliter influere in eundem effectum. Prob. Quia duo ignes simul positi, naturaliter jungunt vires suas, ut faciant unam causam totalem, eamque fortiorem respectu caloris quem attingunt. Is enim cum tantâ intensione, & in eâ distantiâ, ab alterutro igne solo non produceretur. Conf. Quod alioquin ex illis causis alterutra vel nihil ageret, vel certè actum ageret; nempe totum effectum eundem sub eadem perfectione productum ab alterâ causâ, iterum produceret; quod frustra esset, nec debet admitti, ut infrà mox adhuc ostendam.

Objic. Duo fines simul movere totaliter sin-

guli possunt ad aliquid agendum. Vt si quis velit ire Romàm, tum visendæ urbis, tum peragendi alicujus negotii gratiâ; ita ut alterutra ex illis rebus esset causa sufficiens. Ergo à pari de causâ efficiente. ℞. *N. parit.* Nam illi fines movent tantùm pro nostro libito. Item ℞. 2. Simul sumptos fines illos, alio modo movere quàm divisim. Ergo sic uniuntur ad faciendam causam unam totalem, seu finem unum totalem.

Notabis verò hoc loco, quòd etsi agentia ejusdem rationis simul posita, de se vires suas naturaliter jungant ad faciendum unum agens totale; posse tamen hoc impediri per specialem Dei concursum simultaneum, quo singula ex iis agentibus determinentur ad eundem effectum totaliter producendum, juxta secundam assertionem.

Dico autem IV. Nec positæ etiam divisim illæ causæ, naturaliter eundem effectum attingerent, ita ut qui jam productus est ab unâ causâ naturali, idem iterum ab aliâ causâ naturali, vel alio in loco, vel alio in tempore, naturaliter producatur. Prob. Quia licet absolutè eundem effectum contineat in suâ virtute activâ, quatenus tamen subest determinationi Divinæ, reproducere illum non potest. Supponimus enim ex Disput. 3. cap. 5. causam omnem creatam sic dependere à primâ, ut effectum hunc numero attingere nequeat, nisi per illius liberam determinationem. At Deus pro suo libero decreto, ad majorem universi perfectionem, & ad suam bonitatem magis communicandam, nunquam determinat causas creatas ad eosdem numero effectus; patetque experientiâ: nunquam enim videntur iidem canes, iidem equi, &c. Item, sequeretur inde posse naturaliter eundem numero

effe-

effectum reproduci. Quod quidem *c.* 3. ostendam iterum fieri non posse.

CAP. II. *Solvuntur Objectiones.*

OBjic. 1. Quemadmodum iidem specie effectus non procedunt nisi à diversis specie causis, ut equus ab equo, canis à cane, &c. Ita iidem numero effectus non possunt esse nisi ab eâdem numero causâ. Quod est contra primam assertionem. ℞. *N. paritatem*; quia nullus effectus ex suâ differentiâ individuali exigit produci ab hac tantùm, aut ab illâ numero causâ, siquidem etiam in omni sententiâ, qui effectus producitur ab illo igne, idem produci potest à Deo, aut ab aliâ causâ universali.

Notandumque est consequenter actiones activas totales, & realiter distinctas plures simul posse ad eundem numero effectum terminari.

Inst. 1. Sequeretur ignem hunc qui possibiles omnes alios ignes in suâ virtute activâ contineat, esse virtutis infinitæ. *N. Conf.* Illa enim solùm est virtus infinita quæ continet effectus possibiles se superantes in perfectione essentiali in infinitum versùs maximum; quod Divinæ omnipotentiæ duntaxat convenit.

Inst. 2. Effectus productus ab unâ causâ, per accidens duntaxat ab illâ dependeret; nec Petrus diceretur filius Pauli, nisi per accidens, nam perinde potuisset esse filius Ioannis; cùm tamen sit à causâ per se, & non tantùm per accidens. ℞. Eo sensu dici à causâ per se, quòd illa per propriam virtutem agat. At nihilominus effectus creatus rectè dicitur per accidens tantùm pendere à causâ creatâ, cùm essentialiter à Deo duntaxat dependeat, quatenus non potest non esse dependenter à Deo. Item, potest esse à Deo

ſolo, illique eſt per accidens quod ſit potiùs à tali causâ creatâ, quàm ab aliâ; nam illud pendet tantùm à determinatione Divinâ, ut ſuprà dixi.

Inſt. 3. Color unus ſpecies viſibiles ab alio ſimili colore producibiles non continet, nec ſpecies viſibilis hujus numero coloris eſt ab ipſo per accidens; alioquin non eſſet potiùs repræſentativa hujus, quàm alterius; cùm tamen color ſit de genere illorum agentium, quæ mutuò ſeſe juvant; ſic enim plura viſibilia ejuſdem rationis fortiùs movent potentiam viſivam. ℞. Speciem viſibilem habere ex modo eſſendi ſibi proprio, quòd ſit potiùs repræſentativa hujus coloris quàm alterius; etſi perinde ab alio produci poſſet. Suppono autem ea quæ jam toties dixi de modo eſſendi, ex Metaph.

Inſt. 4. Idem poſſet ſeipſum reproducere, ſaltem ſupernaturaliter, ſiquidem continet in ſuâ virtute activâ effectus omnes poſſibiles ejuſdem ſecum ſpeciei. Atqui falſum conſequens. Nam debet eſſe diſtinctio producentis & producti, inter quæ etiam eſt relatio. Et verò, quomodo alioquin in Divinis Pater producens Filium, diceretur producere aliam à ſe perſonam? ℞. De fide eſt, in Deo tres de facto eſſe perſonas diſtinctas, non eandem reproductam. ℞. 2. Sequeretur ſolùm aſſertionem à nobis poſitam non valere, niſi poſitâ illâ conditione, ubi nimirum poteſt eſſe diſtinctio producentis & producti. At nihilominus ſic poſſet præterea eſſe cauſa ſui ipſius mediatè ſaltem, quatenus poſſet ignis *A* reproduci ab igne *B*, quem ignis *A* jam produxiſſet. Item, tam poſſet illud præſtare immediatè, quàm mediatè. Quanquam

Notabis, quòd ignis *A* non poſſet ſeipſum reproducere, niſi ſuppoſitâ materiæ propriæ reproductione

ductione per creationem à Deo, in eâ sententiâ quæ docet creaturam nequidem instrumentaliter creare posse; & sic ignis ille *A* non posset adæquatè saltem seipsum reproducere.

Objicies consequenter 2. Contra secundam assertionem de effectu qui supernaturaliter procederet à duabus simul causis totalibus. Sequeretur inde simul non esse causas totales; quia causa totalis excludit consortium alterius; atqui quando supponuntur duæ causæ, conjunctim saltem, influere simul totaliter in eundem effectum, una non excludit consortium alterius; & sic desinit esse causa totalis. ℞. Non desinit esse causa totalis ex eo præcisè quòd agat conjunctim cum aliâ; sed tantùm ex eo quòd cum aliâ conjungat vires suas ad agendum perfectiori modo.

Inst. 1. Sequeretur effectum pendere totaliter ab unâ ex illis causis, & simul non totaliter, quia penderet quoque ab aliâ, & quidem per se. ℞. sic per se, & multoties totaliter penderet.

Inst. 2. Non possunt esse plures causæ formales totales ejusdem corporis naturalis constitutivæ. *C.* Ergo nec plures totaliter effectivæ. *N. parit.* Nam & de facto sunt plures totales effectivæ ordinis diversi, nec destruunt unitatem effectus; quo pacto plures formæ substantiales destruunt unitatem essentiæ & corporis naturalis ejusdem.

Inst. 3. Sequeretur in iis causis esse virtutem eandem productivam; quia unum & eundem formalem terminum haberent. *N. sequelam istam*; sunt enim duæ numero virtutes, ob multiplicitatem subjectorum, quæ tamen virtutes sunt ad eundem terminum.

Inst. 4. Sic idem effectus productus ab unâ

causâ, reproduceretur ab aliâ, sicque ageretur actum. *C. Totum.* Atqui repugnat rem eandem ita reproduci. *N.*

CAP. III. *De Reproductione.*

PLatonis error fuit, quemadmodum legere est apud D. Aug. *lib.12. De Civit. Dei c.* 13. peracto magno anno, quem circiter quadraginta annorum nostrorum millibus definiebat, syderibus omnibus eundem inter se ordinem ac situm retinentibus, redituras easdem omnino rerum omnium generationes, eundemque rerum omnium statum. Sed hæc nullo nituntur rationis fundamento, suntque fidei Christianæ contraria; quare veritatem nullam habere possunt.

Quæstio solùm est, an res eadem jam producta; quæ tamen esse desiit, fuitque etiam annihilata prorsus; item, an res nondum corrupta, adhucque existens, possit iterum reproduci.

Certumque est ex præcedenti doctrinâ, satisque probatur ipsâ experientiâ, res easdem quæ productæ sunt, iterum simul viâ naturali de facto non reproduci; neque etiam, ut loquitur Aristot. à privatione regressum fieri ad habitum; ubi sermo est de privatione quæ potentiam excludit simul cum actu; quemadmodum habetur in Logicâ *Disput.* 2. *cap.* 6. Quomodo res mortua, sibi nunquam per vires naturæ restituitur. Quod enim ajunt de Pelicano pullos suos revocante ad vitam, proprio sanguine illos aspergendo, fabula est; quanvis illo exemplo utantur SS. PP. in mysteriis fidei explicandis; aut si reviviscunt (quod de Phœnice pariter loquuntur Poëtæ) non iidem numero reviviscunt. At

Dico I. Res corrupta, putà mortuus homo, potest

potest idem numero Divinâ virtute reproduci & resurgere. Prob. Quia nihil implicat; sicque est de fide mortuorum resurrectio.

Notabis tamen in ejusmodi corruptione rerum naturalium, remanere semper materiam primam, nec in morte hominis desinere aut materiam, aut animam, quæ immortalis est, sed tantùm existere separatim à corpore. Quod si tum corpus, tum anima illa, inquiunt Durandus & Tostatus *in cap. 2. Matth. q.* 238. penitus annihilaretur, reproduci eadem numero non posset. At

Dico II. Hæc Durandi & Tostati sententia vulgò censetur erronea contra fidem. Neque verò implicat ullam contradictionem, si res annihilata reproducatur; quandoquidem non est de illius essentiâ, ut semel tantùm existat; quo pacto per proportionem non est de illius essentiâ, ut in uno tantùm loco existat, & non in variis simul; quod Christiana fides docet de Christi corpore in Eucharistiâ. Item, sic habet D. August. *Serm.* 19. *de Verbis Apost.* Si in nihilum rediremus, facere posset Deus ut essemus; sicut fecit nos esse, cùm antea non essemus; non enim alterum altero est difficilius. Præterea verò, contra Thomistas,

Dico III. Res quoque nondum corrupta, & adhuc existens potest Divinâ virtute reproduci. Probatur eâdem ratione, quâ præcedens assertio; quia nihil repugnat; nec difficiliùs est Deo reproducere quod jam fuit, aut actu existit, quàm illud quod nunquam fuit. Item, sic rectè solùm explicari potest quemadmodum de facto Christi Domini humanitas fiat verè & substantialiter præsens tum in cœlo, tum adeò multiplici in loco sub speciebus Eucharisticis.

Objic. Quod jam existit, non est ampliùs in potentiâ ad *esse*: Ergo nec ampliùs producibile: ergo produci, aut reproduci non potest. *Dist. Ant.* Quod jam existit, non est ampliùs in potentiâ naturali ad *esse*, nec potest naturaliter reproduci. *C.* Non est in potentiâ obedientiali ad esse iterum, seu non habet reproducibilitatem obedientialem. *N.*

Inst. 1. Quod producitur, aut reproducitur, transit de *non esse* sui ad *esse* sui: atqui hoc non potest convenire illi rei quæ jam est existens, ut transeat de *non esse* sui ad *esse* sui; quia non habet *non esse* sui: ergo non potest illi convenire ut reproducatur. ℟. Non habet *esse* sui reproductum, quanvis habeat simpliciter *esse* sui jam productum.

Inst. 2. Non posset assignari ullus terminus novæ reproductionis, per quam idem *v. g.* Petrus iterum existeret: quia ex parte Petri nulla esset realitas de novo producta. ℟. Vt primæ productionis terminus est Petrus in rerum naturâ de novo existens; sic iteratæ productionis terminus est idem Petrus, ut iterum de novo existens; qui proinde hoc pacto fit multiplex virtualiter, & multis æquivalens; ut dicitur, ubi de corpore eodem in multis locis replicato.

Inst. 3. Petrus bis existens non esset idem Petrus. Ergo sic esset idem, & simul non idem. *Prob. Ant.* Quia quod est bis existens, est consequenter multiplicatum, & multa. Ergo non est idem. Et verò quod bis numeratur, non est nisi multiplex. ℟. Ad id sufficit virtualis multiplicitas; idemque omnino dicendum est de corpore Christi Domini in Eucharistiâ replicato.

Inst. 4. Idem simul esse posset præteritum, &

& præsens; quod repugnat; nam præteritum non potest non esse præteritum: ergo non potest esse præsens. ℞. Idem potest simul esse præsens, & præteritum diverso respectu, & ratione iteratæ productionis; quo pacto etiam diximus fieri virtualiter multiplex.

Inst. 5. Illa rei producibilitas, aut potentia obedientialis, vel esset finita, vel infinita. Neutrum dici potest. Non enim est infinita; quia sequitur ad esse creatum: nec finita, quia tam millies & in infinitum reproduci à Deo posset, quàm semel. ℞. Non esse infinitam absolutè: sed tantùm respectivè ad omnipotentiam Divinam, cujus viribus reproduci in infinitum potest.

Notandum verò est, ex rebus producibilibus, alias esse permanentes, quæ videlicet habent suum *esse* totum simul; alias autem successivas, quæ videlicet non habent esse suum, nisi per partes post partes; cujusmodi sunt motus & tempus; quæ propriam etiam producibilitatem non habent; siquidem, ut suppono, propriam non habent entitatem. Item

Not. 2. Ad unitatem numericam motus requiri unitatem temporis; qui enim motus fit diversis temporibus, ille necessariò est multiplex. Quomodo & unitas numerica temporis, ut suppono, petitur à tali virtuali parte Divinæ æternitatis, aut temporis imaginarii cui respondet. Quare his suppositis,

Dico IV. Motus idem numero qui præteriit, reproduci non potest. Probatur Quia eidem tempori ampliùs respondere non potest; cùm etiam idem numero tempus redire ampliùs nequeat; quia non potest respondere iisdem partibus virtualibus æternitatis Divinæ; aut tem-

temporis imaginarii; quod supponitur redire non posse.

CAP. IV. *An ab eâdem causâ possint esse contrarii effectus.*

CErtum est materiam primam in suo genere, naturaliter fieri causam diversorum corporum naturalium, diversas formas substantiales in se successivè recipiendo. At forma nulla sive substantialis, sive accidentalis naturaliter transire potest de subjecto ad subjectum; aut de novo subjectum aliquod, saltem totale informare; quia per suum essendi actum determinatur semper ad hoc numero subjectum, dixi *totale saltem*; sic enim anima novas subinde partes materiæ, quæ per nutritionem aggenerantur, de novo informat. Item, hoc habet omnis forma, ut non possit diversos effectus formales communicare suo subjecto; sic enim albedo non potest facere nisi album. At certum est 2. Finem eundem posse fieri causam contrariorum effectuum. Nam propter sanitatem potest quis vel deambulare, vel quiescere. Quod autem spectat ad causam efficientem,

Dico I. Causa libera potest exercere contrarias operationes circa idem objectum, saltem successivè; potest enim ex diversis motivis rem eandem tum amare, tum odisse.

Dico II. Causa naturalis universalis, ut sol, contrarios effectus naturales producit, pro diversâ dispositione subjecti. Ita enim indurat lutum, & emollit ceram.

Dico III. Causa omnis per se alicujus effectus, potest per accidens esse causa contrarii. Sic ignis ut absens dicitur esse causa congelationis. Sic balnea calida, per accidens dicuntur refrigerare

gerare sanguinem, poros corporis resolvendo, unde spiritus interni diffluant. Secùs autem contingit ex balneis frigidis.

Dico I V. Causa naturalis necessaria & particularis, agens ex eodem principio, tum ex eodem fine, respectu ejusdem aut similis materiæ eodem modo dispositæ, non potest esse causa contrariorum effectuum. Prob. Quia sic idem manens idem, semper facit idem.

DISPVTATIO VII.

DE CAVSA FINALI.

CAP. I. *Natura causæ finalis.*

Dico I. Causa finalis seu finis, est id cujus gratiâ aliquid vel est, vel fit. Aut si lubet, est id propter quod agens operatur. Hæc enim sunt de ratione *finis*, tum ut propter se appetatur, tum ut alia appetantur & fiant propter ipsum.

Quæ autem sunt finis aliæ proprietates, & divisiones, illæ jam traditæ sunt in Morali.

Dico I I. Finis est vera & realis causa. Ita Arist. enumerat quatuor genera causarum realium & physicarum, inter quas est finis. Nam verè & propriè illud est causa, à quo positivè dependet effectus: sic autem *finis* causa est cur fiat effectus. Quâ ratione paratur medicina, ut obtineatur sanitas; disponitur materia ut fiat compositum naturale, &c. Quod quidem compositum naturale generatur etiam à naturâ, tum propter bonum universi, tum propter alia quædam particularia bona inferenda, pro intentione authoris naturæ.

Objic.

Objic. Est de ratione causæ realis, ut sit principium influens esse in aliud. Atqui *finis* non est principium; nam finis & principium opponuntur, siquidem principium est quid primum, finis autem est terminus & quid ultimum. ℞. Finem ordine executionis esse quidem ultimum, quo pacto *v. g.* sanitas per deambulationem acquirenda non existit, nisi factâ deambulatione. At in intentione est quid primum, neque enim sic agens operatur, nisi ex amore finis obtinendi; quamobrem ab hujusmodi fine incipit motus omnis, ut in eo tandem quies habeatur.

Inst. 1. Quod non existit à parte rei, non potest dici principium influens *esse* in aliud. Atqui finis non existit à parte rei, quando movet causam efficientem ad agendum: ergo. *Dist. Ma.* Quod non existit neque in se, neque in alio. *C.* At finis causans existit saltem intentionaliter in mente seu cognitione operantis propter finem, unde alliciat voluntatem ad sui prosecutionem. Istudque est proprium causæ finalis, ut hoc solùm modo existens causare actu possit.

Inst. 2. Solet esse relatio in causa ad effectum. Atqui *finis* dum causat, non existit; nec proinde potest referri ad effectum. ℞. Non est de ratione causæ cujuscunque ut referatur ad effectum; quod in Metaph. *De Relatione* ostenditur de primâ causâ, & de fine ultimo; cujus proprium est ut aliorum ad se relationes terminet, non autem ut referatur, seu ordinetur ad aliud, nisi extrinsecè, & secundùm rationem: puta quando quis per amorem concupiscentiæ ordinat Deum ad se, tanquam proprium sibi bonum.

Notandumque est, finem esse primam causarum *in ordine intentionis*; quia causa efficiens non agit

agit nisi propter finem obtinendum, & ab eo mota. Quanquam

Not. 2. Finem sumi non tantùm *ut obtinendum*, sed etiam *ut obtentum*; quo in casu est objectum gaudii & fruitionis; alioquin ut obtinendus, est objectum desiderii, &c. Item

Not. 3. Eundem dici ultimum *in ordine executionis*, qui primus est *intentione*, ut satis patet ex dictis. At

Dico III. Effectus causæ finalis sunt: Primò, movere causam efficientem ad prosecutionem sui. Item, causare executionem mediorum, ut ipse finis obtineatur. Quamobrem finis causat media, ipsáque media causant mutuò finem, sed in genere diverso: ut quando sanitas obtinenda movet ad parandam medicinam, quæ in genere causæ efficientis causat ipsam sanitatem. Item, finis officium est terminare tandem & sistere motum appetitus, ipsum satiando, unde & appellatur *finis.*

CAP. II. *Quomodo finis moveat ad agendum.*

Suppono 1. Quod observavi in morali, ex agentibus propter finem alia esse cognitione prædita; alia autem non cognoscitiva. Item, ex illis alia finem intendere, quod est ex cognitione sese ad illius prosecutionem liberè determinare; alia autem ad finem non tendunt, nisi cum prædeterminatione ad unum; ut agentia naturalia. At

Suppono 2. Rationem finis constitutivam in ratione causæ finalis esse *bonitatem*; quia bonitas sola est illud quod movet appetitum ad sui desiderium & prosecutionem. Illa autem bonitas non movet, nisi cognita; nam *ignoti nulla cupido.* Quare bonitas finis ad hoc ut moveat cau-

causam efficientem, debet in eâ priùs existere *secundùm esse intentionale*, ut ajunt; id est, ratione cognitionis per quam repræsentetur ut amanda. Notandumque est consequenter bonitatem illam considerari, tum secundùm *esse reale*, nempe secundùm illud esse quod habet reipsâ; tum secundùm *esse intentionale*, id est, secundùm *esse cognitum* quod habet in causâ ipsius prosecutivâ. Item,

Suppono 3. Distinguendum esse hoc loco duplex genus motionis; altera enim est *physica*, & propriè dicta, ubi scilicet imprimitur vel motus localis, vel qualitas activa; quâ ratione dicimus instrumentum moveri à causâ principali. Altera verò huc spectans, est duntaxat *metaphorica*, quæ consistit in amore & desiderio quo res appetibilis voluntatem ad se allicit. Atque his suppositis,

Dico I. Ratio constitutiva *finis* in actu primo ad finalizandum, est bonitas secundùm esse reale :. vel si lubet, bonitas finis non causat, aut movet, nisi secundùm esse reale. Prob. Quia finis non causat nisi secundùm illud esse quod agens obtinere intendit, quomodo *v. g.* ægrotus sumendo medicinam, solam intendit sanitatem, non autem ipsius duntaxat sanitatis *esse* intentionale, seu *esse* per cognitionem apprehensum.

Dico enim II. Apprehensio finis in eo casu, est tantùm conditio requisita ad hoc ut bonitas finis moveat voluntatem; siquidem, ut ajebam, *ignoti nulla cupido*. Quare

Notabis, posse quidem voluntatem moveri à bonitate finis, tam secundùm *esse* ipsius reale, quàm intentionale; sed diverso sensu accipiendum illud est. Quia nimirum à bonitate movetur

vetur formaliter secundùm *esse* ipsius reale; verùm ab ipsâ secundùm *esse* intentionale non movetur, nisi quatenus illud esse intentionale seu apprehensum, est conditio per quam voluntati applicetur bonitas objecti.

Objic. Si bonitas finis causat secundùm esse suum reale; sequetur finem esse causam & effectum sui ipsius secundùm entitatem suam realem. *Dist.* Sub eodem respectu. *N.* Sub diverso. *C.* Sic enim sanitas movet ægrotum ad sumendam medicinam, quæ sanitatem ipsam efficienter attingat.

Inst. 1. Dum finis causat, nullum habet *esse*, nisi intentionale, neque enim sanitas quam intendit æger sumendo medicinam, alio modo existit quàm in illius mente. Ergo finis ille tunc non causat, nisi secundùm *esse* intentionale, seu secundùm *esse* cognitum quod habet in mente agentis. Nihil enim causat, nisi secundùm illud esse quod habet quando causat. ℞. Finem dum causat, habere *esse* objectivum, quod est reale saltem potentiâ; & secundùm illud dici causam actu. In quo differt ab aliis causarum generibus, quæ ad causandum requirunt actualem existentiam secundùm esse suum reale.

Inst. 2. Sæpe illud quod impossibile est, nihilominus movet voluntatem actu, ut quando quis desiderat montes aureos, &c. Ergo ad rationem finis non requiritur ut moveat secundùm esse reale, sed tantùm secundùm esse intentionale. ℞. In eo tamen casu movet etiam bonitas secundùm esse reale, quod tale saltem existimetur. Quanquam ubi falsò per cognitionem repræsentatur, tunc dicitur esse desiderium *boni* solùm *apparentis*.

Inst. 3. Ratio formalis per quam finis exercet

cet propriam causalitatem seu finalizationem, illa est quæ actum voluntatis circa finem specificat. *C.* Atqui specificatur actus voluntatis circa finem diverso modo, prout variis modis repræsentatur apprehenditurque; sic enim finis aliquis per se honestus, ubi apprehenditur tanquam turpis, facit ut actus circa illum sit turpis. Ita bonum, quando repræsentatur vel ut præsens, vel ut absens, causat actum vel amoris, vel desiderii, &c. Ergo esse repræsentativum est ratio formalis per quam finis exercet suam causalitatem, &c. ℞. Diversitatem illam specificam non oriri nisi ab objecto tanquam à ratione formali: quanquam dicatur quoque oriri à diversâ cognitione ipsius repræsentativâ, tanquam à conditione objectum ipsum diverso modo applicante & repræsentante.

Notabis verò 1. Instinctum naturalem in quibuscunque viventibus, aliud nihil esse, quàm istiusmodi *esse cognitum*, seu cognitionem boni convenientis, cum inclinatione ac determinatione appetitus ad ipsum prosequendum; ubi agitur de fine prosecutionis. Alioquin ubi res tanquam disconveniens repræsentatur, fit fuga; tamque est naturaliter determinatus appetitus ad fugam mali, quàm ad prosecutionem boni.

Notandumque est 2. Brutas animantes non operari nisi ex instinctu. Sicque ex naturali instinctu hirundines eodem modo ædificant nidos; eodem modo ab apibus construuntur favi, & mella in iis congeruntur, &c. Sed

Not. 3. Minùs perfectum esse operari ex instinctu, quàm ex ratione & libertate; licet *per accidens* interdum aberret ratio & libertas. Prob. Quia modus operandi naturæ intelligentis proprius, debet ex naturâ rei esse perfectior

quàm

quàm ille qui brutis animantibus convenit. Et verò etiam de se perfectiùs est agere ex cognitione circunstantiarum, & cum dominio in suas operationes, quàm ex solâ necessitate & cognitione imperfectâ.

Notabis autem, Brutas animantes quæ solùm agunt ex instinctu, tum res etiam inanimatas quæ cognitione sunt destitutæ, nec tendunt ad finem, nisi per qualitates naturaliter insitas, agere nihilominus propter finem cognitum, & liberè intentum, saltem ab alio, nempe à Deo, sub cujus directione agunt. Quamobrem hoc pacto vulgò ajunt, *opus naturæ esse opus intelligentiæ*, nec agere causas naturales, nisi motas à Deo, in ordine ad gloriam ipsius, quemadmodum explicui in Philosophia morali.

PHY-

PHYSICÆ VNIVERSALIS
PARS SECVNDA.
TRACTATVS VNICVS
De proprietatibus corporis naturalis.

PRÆFATIO.

PRæter *intrinseca seu essentialia principia, tum præter extrinseca, suas habet proprietates diversas corpus naturale.*

Ac primò quidem in eo est quantitas, unde reddatur formaliter extensum per partes ab invicem separabiles, &c. Item, circa illud considerari solet finitudo, locus connaturalis, motus & duratio. Sed illarum omnium proprietatum per se notissima, & maximè intrinseca est Quantitas; *cujus naturam ut certâ methodo investigem;*

Suppono I. *Quantitatem hic sumi pro extensione oppositâ indivisibili, quod videlicet, ex definitione Mathematicorum, nullam habeat extensionem in longum, latum, aut profundum.*

Alia autem est extensio formalis, *alia* virtualis. *Formalis extensio dicitur, quæ propria est rerum corporearum, seu per quam ad diversas loci partes extenduntur divisibiliter secundùm diversas sui partes, easque impenetrabiles, & ab invicem separabiles. Atque hujusmodi quidem extensionem vulgò appellant* quantitatem molis, *seu extensionem* quantitativam; *tum illius partes similiter vocant* formales, & quantitativas. *Contrà verò extensio virtualis, cujusmodi reperitur in substantiis spiritualibus, ut in Angelo, est ea per quam toti spatio, singulisque ipsius partibus totus v. g. ipse Angelus indivisibiliter coëxistit; id est, totus in toto, & totus in qualibet parte. Etsi enim Angelus partes non habet, ea tamen vis ejus est, ut secundùm substantiam singulis totius spatii partibus coëxistat, seu correspondeat. Quam ob causam dicuntur in illâ extensione esse partes virtualiter, propter æquivalentiam cum partibus quantitativis, ad coëxistendum cum spatio. Quanquam illæ partes virtuales non existunt actu, nec complentur in ratione partium ejusmodi vir-*

virtualium, nisi per actualem coëxistentiam quam habent cum variis spatii partibus. Item,

Suppono 2. *Ex Metaphysica* Tract. 1. Disp.8. c.3. Vbi de Categoria Quantitatis. *Suppono, inquam, Quantitatem in communi vulgò illud dici, quod est divisibile in partes; continetque sub se tanquam species quasdam, tum Quantitatem continuam, tum discretam.*

Continua est, inquit Arist. quæ habet partes communi termino copulatas: id est, cujus partes ad invicem ita cohærent, ut omnes eundem terminum, seu extremum idem habeant; quemadmodum postea secundùm nostram sententiam interpretabimur. Vel si lubet, Quantitas continua est, cujus extrema sunt idem. Quo pacto v. g. *baculus dicitur aliquod continuum, quia ejus extrema sunt idem lignum, non quidem indivisibiliter, sed divisibiliter & continuativè; nec faciunt plura ligna actu distincta. Contra autem, quantitas discreta partes habet actu ab invicem sub propriis terminis distinctas; ut numerus; cujus naturam jam prosecutus sum in Metaphysicâ, loco citato. At*

Not. 1. *Omnem illam quantitatem esse vel* permanentem, *vel* successivam. *Successiva est, cujus partes nullæ simul coëxistunt, sed tantùm alia post alias, ut in* motu, *& in* tempore; *quæ sunt species quantitatis continuæ successivæ; nam alioquin* oratio, *est quantitas successiva discreta.*

Quantitas continua permanens ea dicitur, cujus partes sunt simul. Vt enim in tempore prima hora non existit simul cum secunda, ideoque vocatur quantitas successiva; ita ex opposito lignum v. g. *dicitur habere quantitatem permanentem, quia partes ejus simul eodem tempore coëxistunt.*

Notabis *autem* 2. *Eam esse quantitatem rerum corporearum propriam, loci replétivam cum exclusione corporis ab eodem loco; per quam etiam fiunt mensurabiles, habentque divisibilitatem in partes ab invicem separabiles, cum extensione in longum, latum, & profundum, quæ est trina corporis cujuscunque naturalis dimensio; quam vulgò appellant Quantitatem* molis.

Notandumque *est consequenter, Quantitatem hanc dividi in tres species. Prima est* linea, *quæ definitur extensio in longum duntaxat. Secunda est* superficies, *seu extensio in longum simul & in latum. Tertia est* corpus,

trinam complectens dimensionem; est enim extensio in longum, latum, simul & profundum. Quo loco animadvertes, corpus *sumi non tantùm pro substantiâ corporeâ, aut pro parte materiali animalis, ut quando dividimus hominem in* corpus & animam, *sed etiam pro hac tertiâ specie quantitatis, quæ nimirum est aliqua entitas accidentalis. Item*

Not. 3. *Tres illas species Quantitatis esse distinctas inter se, saltem formaliter: Quia diversas habent definitiones. Non autem distinguuntur realiter; quia frustra foret illa realis distinctio, nec probari ullâ ratione potest. Etsi enim species distinctæ quæ idem genus participant, habeant sæpe realem inter se distinctionem, puta species arborum, aut animalium; illud tamen verum est tantùm de iis quæ propriam habent entitatem; at linea* v. g. *aut superficies, non est ens propriâ entitate, sed eâ duntaxat entitate quæ communis est* corpori, &c. *Nec definitio unius ex illis speciebus quantitatis, ingreditur definitionem alterius* formaliter, *sed tantùm* materialiter; *ut cùm dicimus, superficies est extensio in longum & latum, &c.*

Ac disputatio quidem solùm est hoc loco de hoc genere Quantitatis, per quam scilicet corpus naturale denominatur aut Quantum, *aut* Continuum.

DISPV-

DISPUTATIO I.

De Quantitate propria Corporis naturalis.

CAP. I. *Distinctio, & Subjectum hujus Quantitatis.*

Dico I. Quantitas corporea, seu quantitas molis, est entitas accidentalis realiter distincta à substantiâ. Sic Arist. 1. Phys. ubi contra Parmenidem & Melissum, qui volebant omnia esse unum ens; ostendit substantiam & quantitatem esse saltem duo entia. Dicamque posteà, quemadmodum in rarefactione producatur de novo, saltem extensio localis aliqua realiter distincta. Probatur assertio, ex doctrinâ Fidei, de V. Eucharistiæ Sacramento. In eo enim remanet quantitas panis & vini, destructâ ipsius tum panis, tum vini substantiâ: ergo realiter distinguitur. Quæ enim forma potest separatim à subjecto suo existere, necesse est ut dicatur esse entitas ab eo realiter distincta; alioquin idem realiter sine seipso secundùm eandem realitatem non potest aut destrui, aut conservari; ut patet. *Respondent Nominales:* Eam quæ remanet, esse propriam albedinis & aliorum accidentium quantitatem, ab iis realiter indistinctam. *Contrà est.* 1. Quia explicari non posset unde illa accidentia tantam, & tam constantem unionem inter se retineant, ut ad motum unius, moveantur & alia, nisi dixerimus illud ex eo fieri, quòd in eâdem communi quantitate realiter distinctâ, tanquam in subjecto inhæreant, quo mediante prius uniebantur propriæ substantiæ. 2. Calor

v. g. qui de novo producitur in Euchariſtiâ, ſic conſequenter produceretur naturaliter extra omne ſubjectum, ſi non præſupponeretur quantitas ipſius receptiva; quod aliàs refutavimus. 3. Cùm illa accidentia ſint ſimul loco, ſequeretur multas quantitates naturaliter penetrativè ſimul poni; quod repugnat: Quia jam oſtenſurus ſum, omnem corporum impenetrabilitatem naturalem oriri à quantitate. Et verò, quidni conſequenter ſacræ hoſtiæ ſimul eſſe poſſent penetrativè? Hæc doctrina eſt communis Theologorum contra Nominales, quia myſteriis Divinæ Fidei explicandis ſola videtur conſentanea.

Dico II. Quantitatis ſubjectum receptivum non eſſe totum à partibus collectivè ſumptis realiter diſtinctum. Nam in parte ſuperiori hujus Phyſicæ, rejecimus illam ſententiam de Toto realiter à partibus ſimul & collectivè ſumptis diſtincto.

Objic. Quantitas *Toti* ſuam tribuit denominationem. Sic enim *homo v. g.* vel equus denominatur quantus, &c. Ergo Quantitas *Toti* ejuſmodi inhæret. *Prob.* Quia accidentia non tribuunt ſuam denominationem, niſi illi ſubjecto cui inhærent. ℞. Satis eſt ut inhæreant *Toti* inadæquatè, ſeu ſecundùm aliquam ipſius partem: quo pacto homo denominatur *ſciens* ab habitu ſcientiæ ſoli animæ inhærente. Atque ita homo denominatur *Quantus*, à quantitate illi ſecundùm materiam inexiſtente.

Item, nec materiæ ſimul & formæ ſubſtantiali tanquam ſubjecto inhæret quantitas. Prob. Cùm enim forma ſubſtantialis ſit penetrativè ſimul cum materiâ cui unitur, ſequeretur duo quanta ſimul eſſe naturaliter penetrativè.

Conf. 1. Quia in homine anima rationalis, quæ de se est incapax effectus formalis qui tribuitur à quantitate, illam in se recipere non potest; ergo sic quantitas de se inhæret soli materiæ. Conf. 2. Quia eadem quantitas, eademque alia accidentia quæ erant in homine, vel in equo corrupto, remanent, formâ hominis, aut equi recedente. Quo quidem ex loco, & ex superiori simul doctrinâ,

Colligimus 1. Accidentia illa non esse nisi in materiâ tanquam in subjecto receptivo: neque enim alia ratio afferri potest, cur in corruptione totius, accidentia illa remaneant, nisi quòd remaneat semper eorum subjectum, nempe materia prima: alioquin pereunte subjecto, pereunt illius accidentia.

Collig. 2. Alia accidentia non inhærere materiæ nisi mediante quantitate, cui immediatè uniuntur.

Collig. 3. Formam substantialem materialem non fieri extensam formaliter & proximè divisibilem, nisi ex adhæsione quantitatis, quatenus videlicet recipitur in materiâ sic formaliter extensâ & divisibili. Item

Collig. 4. Accidentia quoque alia non reddi quanta, nisi prout recipiuntur in ipsâ quantitate, quæ suos effectus formales tam multiplici hac ratione tribuat.

CAP. II. *Natura & formalis effectus Quantitatis.*

Suppono substantiam materialem, tum accidentia omnia materialia secundùm suam entitatem habere partes, seu posse dividi in partes, quas ideo vocant *entitativas*. *Prob.* Quia substantia *v. g.* linea, existens sub hac quantitate

titate bipedali, non est tota indivisibiliter sub qualibet ejus parte assignabili: ergo tantùm divisibiliter, & pars sub parte: ergo habet partes. Quod est contra Thomistas, qui docent in materiâ non esse ullam partium rationem nisi per quantitatem. Certè potest Deus destruere partem substantiæ quæ est sub parte *A* quantitatis istius, conservatâ illâ parte quæ est sub parte *B* ejusdem quantitatis: ergo in eâ substantiâ secundùm se est pars & pars; distinguiturque substantia capitis à substantiâ pedis, &c. Huc adde, partes illas substantiæ præsupponi debere ad partes quantitatis, ut recipiant ejus effectum formalem; nec aliam ob causam Angelus, aut anima rationalis est subjectum incapax quantitatis, nisi quia partes entitativas non habent. Item, substantia totius mundi, præcisâ quantitate, est major quàm substantia grani synapis: atqui aliunde major dici non potest, nisi quòd habeat plures partes *entitativas*. Et verò agens condensatum, puta ignis in furnulis Chymicorum, ideo vim exerçet majorem, quia sub minori extensione plures sunt partes substantiæ igneæ. Quare consequenter, contra eosdem Philosophos,

Dico I. Formalis effectus *Quantitatis* non est tribuere substantiæ materiali rationem partium; siquidem illam de se habent independenter à quantitate.

Notandumque est, partes illas considerari primò, prout habent ordinem in se, seu in toto, id est, prout pars hæc illi determinatæ parti unitur; Quomodo *v.g.* caput unitur immediatè collo; nec pedi unitur nisi mediantibus aliis partibus quæ certum inter se ordinem servant in toto illo quod constituunt. Secundò verò consideran-

tur

tur prout ordinem habent ad locum; id est, quatenus totum illud quantum, diversis loci partibus, secundùm diversas sui partes correspondet, revocaturque ad *situm*. Et verò possunt etiam de facto partes servare ordinem inter se, sine respectu ad locum; quanvis non è contrà. *Exempli causâ*. Corpus Christi Domini positum in Venerabili Eucharistiâ, habet partes inter se ordinatas; cùm tamen illæ omnes sint confusæ loco, id est, simul sint penetrativè eodem in loco, simulque omnes toti quantitati panis, tum singulis ipsius partibus indivisibiliter respondeant, eo modo qui est rerum spiritalium proprius; ut quando anima rationalis dicitur esse tota quidem toto in corpore quod informat, simulque tota indivisibiliter in singulis ipsius partibus. Atque istâ quidem factâ observatione,

Notabis 2. In aliorum sententiâ, effectum formalem Quantitatis primarium & essentialem esse, ut partibus rerum materialium entitativis tribuat extensionem, seu veluti extraïtatem ab invicem, cum ordine inter se. Supponunt enim partes entitativas rerum materialium de se, & præcisâ quantitate non modò esse indivisibiliter simul loco, seu loco confusas, ut jam ájebam de corpore Christi Domini in V. Sacramento, sed præterea sic quoque absolutè esse confusas, ut nullum inter se ordinem servent; nec illum ordinem habere, nisi per formalem effectum quantitatis. *Probant*. Quia, ut inquiunt, solus ille assignari potest formalis effectus quantitatis, prout reperitur in Christi corpore Sacramentaliter posito in V. Eucharistiâ: ergo ille omnino est admittendus; siquidem nullum est accidens subjecto inhærens, nisi

formalem effectum illi communicando; quo pacto albedo *v. g.* facit subjectum album, &c. Quòd autem Christi Domini corpus eo in statu propriam retineat quantitatem, communis est Theologorum sententia; docetque Gregorius à Valentiâ. *Tom.*4. *Disp. 6. De Eucharistiâ. q.* 4. *puncto* 1. contrariam esse in Fide erroneam; nam alioqui sequeretur corpus Christi Domini in illo Sacramento non esse corpus organicum, & vitalium operationum capax, quale de facto esse debet corpus quod ipse Christus Dominus dicit esse *suum*. Quod Fidei doctrinæ repugnaret. Sic autem de illo effectu formali quantitatis sentiunt Capreolus, aliique insignes Thomistæ; Fonseca, *Metaph. Tom.* 2. Conimbricenses 1. *Phys.* Gregorius à Valentiâ, loco citato; Vasquesius *Tom.* 3. *Disput.* 190. *cap.*3. ubi rem variis probat argumentis, scribitque hanc fuisse veterum omnium doctrinam cum D.Thomâ, contra Nominales.

Notandumque est consequenter 3. Ex iis authoribus, duplex extensionis genus convenire corpori ratione quantitatis. Altera, quæ dicitur extensio partium in ordine ad se, quam statuunt esse primarium & essentialem effectum ipsius quantitatis, quam *essentialem & internam* vocant. Altera autem est earundem partium extensio in ordine ad locum, de quâ vix ulla est disputatio, cùm facilè omnes ferè concedant illam oriri ab entitate illi internæ quantitati superadditâ, quam vulgò appellant *modum localis extensionis*, tum *quantitatem externam*. Vt autem statuamus de illo quantitatis effectu formali primario & essentiali, de quo tota est difficultas:

Dico II. Cum Suario *Tom.*3. *in* 3. *p. Disp.*48. *sect.* 1.

sect. 1. quem sequuntur jam ferè omnes Philosophi præter Thomistas & Nominales : substantia corporea habet extensionem & partes extra partes inter se ordinatas independenter à quantitate. Prob. Quòd alioqui non posset in se secundùm diversas sui partes esse subjectum quantitatis; partesque ipsius quantitatis diversas, secundùm diversas sui partes in se recipere & sustentare; neque enim inextensum ita aptari posset cum extenso. Ergo quantitas præsupponit subjecti extensionem. Et verò etiam quantitas ita respicit materiam tanquam ipsius proprietas, ut pars *A* quantitatis, à solâ parte *A* materiæ procedat emanativè; quomodo in aquâ, frigoris diversæ partes non emanant nisi à diversis partibus ipsius aquæ: ergo, &c. Item, nihil repugnat Divinitùs conservari totam substantiam corporis humani, destructâ ipsius quantitate omni; quo in casu substantia capitis non idcirco amitteret unionem cum substantia colli, & sic de aliis partibus; ergo unio partium ejusmodi & extensio tam ad se, quàm ad locum, non est formalis effectus quantitatis: ergo inquirendus est alius. Quare

Dico III. Facere *quantum*, qui dicitur formalis effectus quantitatis, est tribuere extensionem partium cùm exigentiâ impenetrabilitatis, aliarumque id genus proprietatum. Prob. Quia habere partes in ordine ad se, & loco coëxtensas, potest convenire substantiæ independenter à quantitate, ut ajebamus; ergo extensio quæ tribuitur per quantitatem ea est, quæ ex differentiâ essentiali postulat impenetrabilitatem, tum physicam divisibilitatem, mensurabilitatem sive activam, sive passivam. Item, esse subjectum immediatum aliorum ac-

cidentium, &c. quæ sunt diversæ proprietates quantitatis.

Notabis igitur 1. Substantiam corpoream, si solam habuerit quantitatem internam, posse nihilominus cum eâ esse indivisibiliter in loco, ut corpus Christi in V. Eucharistiâ; opusque habebit *modo extensionis localis* illi superaddito, per quem extendatur divisibiliter ad locum. Quem *extensionis localis modum* inde constat distingui realiter à quantitate internà, quia sine illo realiter esse potest; tum quia remanente eádem quantitate internâ, mutatur illa extensio localis in rarefactione aut condensatione, quemadmodum dicam posteà.

Notabis tamen 2. Substantiam sub eâ quantitate non idcirco habere de se actualem impenetrabilitatem, sed tantùm esse in proximâ aptitudine ad illam, & illam de se connaturaliter exigere; seu habere ex differentiâ essentiali, ut sit principium radicale illius. Neque enim de facto, omne corpus etiam extensum localiter, habet actu impenetrabilitatem, ut de corporibus beatorum dicetur *Disp. De loco cap.* 3. Item

Not. 3. Alias esse proprietates, & munera hujus quantitatis, uti jam insinuabam. Nam primò quidem, munus illius est, in se immediatè recipere alia accidentia immaterialia; quod superiori cap. exposuimus. Vt enim substantia illa non est activa, nisi mediantibus qualitatibus superadditis; ita nec passiva est nisi mediante quantitate. Neque verò etiam agere, aut pati ab agente naturali potest, nisi sub quantitate localiter extensâ.

Item, ad extensionem localem sequitur physica divisibilitas. Nam etsi Divinitùs corpus non

non quantum dividi in partes absolutè posset, hoc tamen nequiret præstari ab agente naturali.

Item, huc accedit mensurabilitas sive activa, sive passiva: quòd hoc solùm pacto mensurari, aut mensurare alias magnitudines possit.

Item, proprium quoque est localis saltem extensionis, ut per eam fiat corporum naturalium aut rarefactio, aut condensatio, quemadmodum explicabitur postea cap. 8. hujus Disput. At

Not. 4. Ideo corpus Christi Domini in V. Sacramento, etsi non habeat localem extensionem, retinere tamen propriam quantitatem, ut sit tanquam subjectum immediatum qualitatum & affectionum earum quæ sunt necessariæ ad constituenda principia vitalium operationum in corpore organico.

CAP. III. *Quantitatis, aut continui compositio.*

S*upponendum* est hoc loco discrimen inter *continuum, contiguum, & consequens, seu deinceps*. Nam *consequens seu deinceps* dicitur id quod est post aliud, aliquo tamen mediante. *Contiguum* autem ita est post aliud, ut nihil mediet. Quamobrem contigua definiuntur ab Arist. Ea quorum extrema sunt simul: id est, immediatè conjunguntur. At contiguo superaddit continuum, quòd ejus partes ita jungantur simul, ut proprios terminos non retineant, nec habeant nisi unum commune extremum, cujusmodi est *superficies*; fiantque hoc pacto una & eadem entitas continua, puta vel ligni, vel aquæ. Quo sensu etiam continua dicuntur ea, quorum extrema sunt unum.

Notandum verò est, hîc non agi de partibus

rei essentialibus, quales sunt materia & forma substantialis in corpore naturali; sed disputatur solùm de partibus entitativis & integralibus, cujusmodi sunt in homine caput, brachia, pedes, &c; aut in aqua plures guttæ ex quibus constat. Gravisque est controversia quænam sint illæ partes continui integrantes. Nam Stoïci quidem antiquiores credebant eas esse indivisibilia mathematica; atque ita corpus conflari ex superficiebus, superficiem ex lineis; lineam autem ex punctis quæ nullam habeant aut formalem, aut virtualem extensionem; sicque aquam *v.g.* per divisionem resolvi tandem posse usque ad ejusmodi indivisibilia. Aristoteles verò docet constare ex partibus extensis, nec posse unquam dividi, nisi in semper divisibilia. Quod recentiores quidam nostrorum temporum philosophi cùm difficile putent, minúsque probabile, excogitarunt novi generis puncta, ut vocant, *physica*, quæ licet realiter sint indivisibilia, habeant tamen virtualem extensionem, qualem per proportionem attribuimus substantiæ Angelicæ; tum statuunt ex certo id genus indivisibilium numero prodire continuum. At

Dico I. Continuum non potest constare ex indivisibilibus mathematicis. *Prob.* Quia indivisibile conjunctum alteri, est consequenter cum ipso penetrativè; non enim potest ipsi uniri secundùm unam sui partem aliquam, tum secundùm oppositam cum altero continuari; siquidem ex hypothesi, partes non habet: ergo se toto illi unitur: ergo cum illo est penetrativè, nec proinde sic potest esse extra: ergo non potest facere extensionem partium extra invicem positarum. Istud præterea confirmat Arist;

Arist. in hunc modum. Sequeretur motum velocem æqualem esse cum tardo. *Probatur illa sequela.* Quia æquali temporis spatio testudo lentigrada, iter æquale conficeret cum Achille celerrimo cursu properante. Vt enim quantitas hæc molis supponitur esse ex punctis indivisibilibus, ita & tempus esset quoque ex instantibus indivisibilibus. Quâ factâ hypothesi, sic argumentor: quo temporis instanti Achilles decurrit primum spatii seu itineris sui indivisibile, testudo quoque primum sui spatii indivisibile percurrit; & ita de aliis. *Prob.* Quia dici non potest quòd propter suam tarditatem, illius indivisibilis partem solùm peragret, quia partes non habet: ergo necesse est ut perinde ac Achilles singulis momentis singula percurrat indivisibilia ex quibus conflatur spatium. Ergo æquali tempore æquale cum Achille spatium perficiet; quod repugnat.

Confirm. 2. Variis rationibus geometricis, hoc pacto:

1. Linea omnis dividi potest æquales in partes, ut demonstrari solet. Atqui in eâ sententiâ inferri deberet contrarium, si daretur linea constans numero punctorum impari. Nam punctum excedens non posset bipertitò dividi.

2. Diagonalis in quadrato esset æqualis lateri: quia nullum esset punctum in latere, quod non haberet aliud distinctum sibi respondens in diagonali, ut patet in fig. 9. tabulæ ad finem hujus libri appositæ. Ergo sic diagonalis foret æqualis costæ, seu lateri: quod patet esse falsum.

3. Diameter esset æqualis semicirculo; quia totidem ex punctis constaret; nulla enim essent puncta in semicirculo, à quibus lineæ ductæ

non caderent perpendiculariter in diversa puncta diametri. Vt patet in fig. 10.

4. Eandem ob causam basis trianguli foret etiam duobus aliis simul lateribus æqualis. Nam ex singulis punctis illorum laterum caderent lineæ perpendiculares ad diversa puncta basis; unde sequeretur basim tot habere puncta, quot dicerentur reperiri in duobus illis lateribus simul sumptis; quod repugnat. Vide fig. 11. Item pari modo hypothenusa seu latus *a. c. in fig.* 12. æqualitatem haberet cum basi trianguli illius : quod repugnat. Nam latus oppositum majori angulo, cujusmodi est hypothenusa, semper majus est.

Item 5. Eandem ob causam circulus minor, æqualis foret majori; ut videre est in fig. 5. Nam à singulis punctis majoris circuli possunt duci diversi radii ad centrum, designantes æqualem numerum diversorum punctorum in circulo minori; siquidem radii à circunferentiâ ducti ad centrum, alibi non concurrunt quàm in centro.

Dico II. Eo maximè nomine repudianda est sententia de indivisibilibus physicis, quòd sine ullâ necessitate doctrinam Aristotelis, & omnium Peripateticorum variis in locis evertat, ut ipsi adversarii non diffitentur; nec pauciores habet difficultates, quàm Aristotelica. Ac primò quidem, confundit proprietates essentiales rerum materialium cum spiritualibus; proindéque tollit principium unde res corporeæ ab incorporeis dignoscantur. Nam in eo differt res materialis ab incorporeâ, quòd ista nullas habeat partes entitativas, nec consequenter habere possit quantitativas. Cùm ergo illa indivisibilia sint materialia, non deberet ipsis attribui ratio

ex-

extensionis tantùm virtualis propria rerum immaterialium, sed potius ratio partium entitativarum, tum quantitativarum. Certè quamcunque in partem hujus chartæ immittam forfices, dividi omnino poterit; secùs autem contingeret si constaret ex indivisibilibus, nec fieri posset quin interdum saltem extra commissuram eorum incurrerent: atqui hoc repugnat experientiæ, nihil enim in eo casu quidquam offendimus, nisi divisibile. Item, in eâ sententiâ non potest explicari rarefactio, in quâ minùs materiæ ponitur sub majori extensione. Nam ubi supponeretur punctum aliquod virtuale rarefactum, eadem esset materia, nec minores haberet partes sub majori extensione, quàm sub minori, quia punctum illud non habet partes. Item, Angelus extendendo sese virtualiter ad majus spatium, diceretur perinde rarefieri. Item, in eâ sententiâ punctum, seu indivisibile id genus, potest rarefieri & veluti inflari saltem virtualiter in infinitum. Quâ in hypothesi, dolium ingens poterit repleri uno indivisibili aquæ, sicque sorberi in instanti, non autem per partes, quia partes non haberet. Item, posset fieri vestis ex unico panni indivisibili, unde sic aliquis tutus foret contra ictus aut ensium, aut bombardarum; nam perforari, id est, dividi non posset. Item, posset ex unico indivisibili ceræ mollissimæ confici vinculum etiam tenuissimum, quo tamen aliquis ita ligaretur, ut ne per Divinam quidem potentiam frangi posset. Item, funis ex ejusmodi indivisibili rarefacto, sic posset in medio sui accendi, & nunquam absumi; quòd alioquin inde sequeretur divisio inter partes illius extremas. Et cætera id genus, quæ videntur per se absurda.

Dico

Dico consequenter III. Retinendam esse doctrinam Aristotelis, nempe *quantum* istud, seu *continuum* non posse conflari nisi est ex quantis, seu extensis; nec posse dividi nisi in partes quæ semper sint divisibiles: alioquin si fieret resolutio usque ad indivisibilia, sequeretur componi ex indivisibilibus: quod ajebamus esse impossibile. Et verò positâ ante oculos figurâ 7. primi laterculi, facilè intelligere est, quemadmodum in lineâ finitâ; puta in lineâ *e. f.* designari possint novæ & novæ partes in infinitum. Si enim producantur in infinitum parallelæ *a. b.* & *c. d.* Tum ex puncto *g.* funis successivè ducatur per singulas partes lineæ superioris *a. b.* Inde fiet ut in lineâ finitâ *e. f.* novæ semper designentur partes, nunquam deveniendo ad extremum, quia funis *g. h.* supponitur semper traduci per puncta lineæ *a. b.* quæ nunquam coëunt cum parallelâ inferiori *c. d*; quod alioqui deberet contingere. Resque ista eadem ostenditur tum in fig. 14. tum in fig. 8. Nam ex centro *a.* duci possunt lineæ in infinitum ad parallelam *c. d.* quæ novas semper designent partes in quadrante adscripto, nec tamen ad finem ipsius unquam pervenietur, ob rationem modò allatam.

Notabis tamen 1. Quantitatem non esse hac ratione semper divisibilem in partes determinatas, aut uni certæ alicui æquales secundùm idem genus extensionis, quas vocant partes *aliquotas. v. g.* Hoc lignum non est divisibile in infinitum secundùm longitudinem in palmos, & palmos. Inde enim sequeretur quantitatem hanc fore actu infinitam.

Notabis igitur 2. Considerari hoc loco aliud genus partium, quas vocant *aliquantas*, seu *alteri*

com-

communicantes, ubi scilicet longitudo *v. g.* bipalmaris dividitur in duos palmos; tum palmus alter in duas alias medietates; quæ medietates iterum in alias medietates dividantur, & sic in infinitum. Dicuntur autem illæ partes *communicantes*, quia semper dividuntur ex majori in quâ sunt inclusæ. Item solent dici & *proportionales*, tum *minores & minores*, quia majores illæ dividuntur juxta certam proportionem in minores & minores communicantes, putà in medietates, & medietates, majoribus aliis medietatibus inclusas. Nec sermo est nisi de hoc genere partium, ubi quantitas dicitur esse in infinitum divisibilis. Item,

Not. 3. Quantitatem hoc modo non esse divisibilem nisi mathematicè, & respectivè ad potentiam Divinam, non autem physicè. Item

Supponendum est ex doctrinâ capitis sequentis, continuum sic constare seu componi ex partibus, quæ in eo non distinguuntur *actu*, sed tantùm *potentiâ* & *virtute*: quam ob causam dicetur compositum duntaxat *virtuale*; non autem *actuale*, cujusmodi *v. g.* est homo constans ex corpore & animâ, tanquam ex partibus actu distinctis inter sese. Item

Notabis consequenter ex dictis; quandoquidem continuum est divisibile in semper divisibilia, non posse unquam *adæquatè* dividi in omnes partes indeterminatè sumptas & *collectivè*, ut inquiunt, ita ut fiat collectio aliqua possibilium omnium in quas est divisibile. Neque enim divisio illa fieri potest nisi in omnes *distributivè*, id est, in has, aut illas *determinatè* assignabiles, quarum singulæ sint præterea semper divisibiles in alias & alias *indeterminatè*.

CAP.

CAP. IV. *Solvuntur Objectiones.*

OBjic. 1. Ex Arist. 1. Top. 14. punctum se habet in lineâ, ut unitas in numero. Ergo quemadmodum numerus resolvitur in unitates de se indivisibiles, tanquam in suas partes, ita & linea in puncta. ℞. Nihil aliud velle Aristotelem, quàm punctum vel reale, vel virtuale esse principium, aut terminum lineæ, quo pacto per proportionem unitas est principium aut terminus in numero.

Inst. 1. Vnitas addita unitati facit numerum, qui est vera species quantitatis, etsi unitates illæ de se sint indivisibiles. Ergo idem à pari dici potest de punctis respectu lineæ. ℞. *Nego parit.* Quia extensio numeri, non est extensio magnitudinis, sed pluralitatis duntaxat. Quare unitates quidem possunt facere *plus*, non autem *majus*, quod est proprium quantitatis continuæ.

Inst. 2. Continuum est quoddam compositum. *C.* Atqui compositum omne potest resolvi in sua omnia principia componentia, seu partes sui constitutivas: ergo & continuum; quod proinde resolvi debebit usque ad aliqua indivisibilia: ergo componitur ex indivisibilibus. ℞. Minorem esse duntaxat veram de composito formali & actuali, seu quod partes actu distinctas continet: non autem de composito virtuali, quod non habet partes nisi virtute & potentiâ. Talis enim est naturæ, ut in omnes possibiles adæquatè, seu collectivè resolvi nequeat.

Inst. 3. Quantitas est divisibilis & resolubilis in eas partes quas continet, seu ad quas est in potentiâ. *C.* Ergo in omnes. *Dist.* Omnes distributivè, seu determinatè in has, aut illas

assi-

assignabiles. *C.* In omnes indeterminatè, aut collectivè. *N.*

Inst. 4. Potentia omnis debet posse reduci ad actum; alioquin non diceretur potentia in ordine ad illum actum. Ergo potentia ad omnes partes debet posse ad illas reduci. *Dist. Ant.* Sic debet posse reduci *adæquatè*. *N.* Sufficit si *inadæquatè*, quia talis est ejus natura, ut colligimus ex dictis

Inst. 5. Si Deus vellet quantitatem dividere quantùm potest, non divideret illam in partes tantùm finitas; siquidem foret ultra divisibilis. Ergo in omnes; & consequenter in infinitas: ergo usque ad aliqua indivisibilia: ergo est ex indivisibilibus. ℞. Cùm totum istiusmodi sit de se indeterminatum, deberet Deus sese determinare ad certum numerum partium, cùm ad omnes collectivè nulla sit potentia.

Objic. 1. Sequeretur quantitatem omnem fore infinitam, quòd ejus partes hac ratione exhauriri non possent. Sic enim definitur *infinitum*; est illud ex quo semper accipientibus, restat semper aliquid accipiendum. *Dist.* Si partes illæ semper accipiendæ forent alicui certæ æquales, sequeretur quantitatem esse infinitam. *C.* At dividitur solùm in minores & minores proportionales, easque alteri communicantes; quæ simul junctæ, non superarent magnitudinem illius à quâ separarentur. Quo pacto nummus aureus dividi absolutè posset in tot laminas aureas quibus tegeretur orbis universus; quæ tamen simul sumptæ non redderent majorem molem, quàm nummi ejusdem divisi.

Inst. 1. In eâ quantitate non posset assignari pars aut prima, aut ultima, quæ non esset divisibilis in infinitum. *Trans.* Ergo non esset finita.

N. Cons.

N. *Conf.* Eam enim ob causam ne dicatur esse pars aliqua aut prima, aut ultima ampliùs non divisibilis; vulgò terminos illius explicant per negationem ulterioris extensionis: ut suo loco exponetur.

Objic. 3. Contra eos qui admittunt gradus qualitatis homogeneos. Sic objicies, inquam: In eo casu posset admitti infinitum simpliciter. Nam illud est infinitum simpliciter, ex quo desumi possunt in infinitum partes uni certæ æquales. Atqui juxta hanc sententiam possent in infinitum desumi ex quanto partes caloris *v. g.* ut duo. Ergo sic posset existere calidum infinitum actu, si partes illæ caloris simul ponerentur. Quod posteà repudiabitur. ℞. A nobis negari hypothesim de gradibus homogeneis; ut exponemus ad finem hujus Disputationis.

Objic. 4. Si quantitas habet partes potentiâ infinitas, non possent illæ à mobili decurri per spatium temporis finiti; nam per motum continuum deberent omnes, & quidem aliæ post alias successivè designari, nec posset deveniri ad ultimam ulteriùs non divisibilem. Atqui hoc repugnat experientiæ. ℞. 1. Hoc argumento solùm illos urgeri, qui supponunt in quantitate esse formaliter partes cum actuali distinctione ab invicem. At sequenti capite ostendam, in eâ partes non reperiri, nisi virtualiter; nec ante assignationem, esse aliquam aut primam determinatam, putà primum aut palmum, aut pedem, aut alias similes. Item ℞. 2. Mobile quod per aliquam quantitatem continuè & successivè traducitur, nullas in eâ designare partes; quomodo si digito continuè & successivè percurram totam aliquam hujus libri lineam, non dicar designare ullos istius lineæ chara-

ctères,

cteres, sed potiùs totam lineam. Nam designare, est determinare aliquid, ipsum quasi distinguendo ab alio; nec consequenter possent aliquæ partes in continuo designari per motum, nisi fierent partes motus distinctæ inter se, vel per intermediam aliquam quietem, vel per aliud assignationis genus. R. igitur 3. Motum finiri tandem, quatenus fit toti continuo, vel spatio quod decurritur adæquatus; vel, ut postea dicam, finitur, quatenus incipit primò non esse, cùm antea existeret.

Inst. Immò nec posset aut incipere, aut finiri motus. Quia in eo non esset, nec assignari posset pars prima, aut ultima, quæ adhuc non esset divisibilis in infinitum, non modò ratione ipsius motus, de quo postea similiter dicam, sed etiam ratione ipsius continui, quod decurritur per motum. *Respondetur* huic difficultati capite 4. Disput. De Duratione.

Objic. 5. In istâ doctrinâ, quæ palea successivè comburitur, non posset unquam tota tandem absumi, quia comburendæ forent partes aliæ post alias in infinitum. *Respondeo iterum*, hic supponi falsò partes, cùm tantùm illud successivè comburatur, quod est divisibile in partes, illasque tantùm continet virtualiter; diciturque tandem ultimò absumi palea, quatenus non potest fieri ampliùs ulterior inflammatio.

CAP. V. *Partes in continuo distinctionem actu realem non habent.*

QVæritur an partes in continuo servent realem distinctionem actu. Neque enim ex eo quòd res aliquæ inter se uniantur, idcirco desinunt esse distinctæ actu; siquidem unio non opponitur distinctioni, sed tantùm divisioni.

Quo

Quo pacto materia & forma unitæ, non ideo desinunt esse actu realiter distinctæ.

Dico I. Non servant realem distinctionem actu. Sic passim Arist. 5. metaph. Item 5. & 8. c. 10. ubi ait in continuo non esse actu Mercurium, sed potentiâ. *Prob.* Quia inde sequeretur existere numerum rerum infinitum actu: Atqui falsum consequens, ut sequenti disput. ostendetur: ergo & antecedens. Major certa est, quia multitudo illa partium actu distinctarum non foret tantùm finita, ut suprà docui: ergo actu infinita. Perindéque essent actu infinitæ, ac duæ actu distinctæ. Item, partes illæ continui distinctæ actu, in adversariorum sententiâ, sunt singulæ à Deo determinabiles, quatenus videt unam ex illis non esse hanc, aut illam, &c. Ac proinde potest ad singulas illas creare Angelos: qui certè non facerent numerum nisi actu infinitum.

Nec dicas partes continui, etsi distinctas actu, non ideo facere numerum actu; huicque obstare quòd non habeant divisionem ab invicem. *Contrà est.* Quia corpus & anima *v. g.* in homine, quanvis habeant unionem, non desinunt facere numerum, ob distinctionem realem actu quam servant; dicunturque esse omnino duæ hominis partes: quomodo per proportionem Personæ in Deo faciunt numerum, quanvis divisæ non sint. Certè possent saltem absolutè à Deo conservari continui partes, destructis illarum unionibus, quo in casu, haberent & divisionem quam requirunt adversarii, sicque existeret infinitum actu. Item, si continuum sic supponeretur divisum in omnes partes; fieret illius resolutio usque ad indivisibilia; aut certè non esset divisum in omnes partes ampliùs non divisibiles.

Notandumque est, hîc valere argumentum motus infiniti per finitam quantitatem, quia decurrendæ essent partes actu infinitæ. Item valet argumentum circuli majoris, qui foret æqualis cum minori concentrico suprà jam descripto; siquidem nullæ essent partes majoris, à quibus duci non possent lineæ ad diversas partes minoris: ergo uterque haberet æqualem numerum partium. Quare

Dico II. Sequitur ut partes illæ continui sint tantùm distinctæ potentiâ, seu potestate, ut loquitur Arist. eo nimirum sensu, quòd quantitas dividi possit in multas partes; *quarum unaquæque fiat hoc aliquid*: quemadmodum loquitur ipse Arist. Sic igitur quanvis continuum sit totum aliquod actu existens, non dicitur tamen totum actuale, aut totum formale, sed tantùm virtuale; quia non habet partes formaliter, seu actu distinctas.

Notandumque est, hîc disputari solùm de distinctione actuali intrinsecâ; alioquin dici potest continuum habere partes distinctas actu extrinsecè, nimirum per assignationem, quæ per formas accidentales, aut substantiales etiam aliquas fiat. Vt quando ramus aliquâ sui parte est viridis, aliâ autem siccus. Item, fieri potest assignatio diversarum partium, vel tactu, vel solâ mente, &c.

Objic. Ex Arist. passim dicuntur esse partes in continuo, & quidem partes extra partes, in quas est divisibile. ℞. Tunc sermonem esse tantùm de partibus potentiâ, non actu.

Inst. 1. Omne totum, quale est continuum, constat partibus actu, siquidem non existit actu, nisi per partes sui constitutivas actu. *Dist.* Debent inesse partes actu saltem *entitatis*, aut actu etiam

etiam *compositionis*. *C.* Actu *distinctionis*. *N.* Et verò sufficit ad constituendum actu compositum virtuale hujusmodi, ut sint actu quoad entitatem, non autem quoad distinctionem.

Inst. 2. Partes illæ sunt multa actu componentia; ergo distincta; quia non est multitudo, nisi ex pluribus actu distinctis ℞. Ad compositionem hujusmodi virtualem sufficiunt multa virtualiter; quanvis non sint multa formaliter.

Inst. 3. Continuum est ex multis formaliter, putà aqua ex multis aquæ guttis. Ergo in eo sunt multæ formaliter partes. ℞. Esse quidem multas formaliter & actu distinctas ante actualem compositionem, seu unionem: at fiunt quid unum continuum sub unione.

Inst. 4. Vnio ut sic non tollit distinctionem actualem partium unitarum; siquidem de se ut sic non opponitur distinctioni, ut patet de unione materiæ & formæ. *Dist.* Non tollit in toto actuali, seu formali. *C.* In virtuali inter partes continui. *N.* Hæc enim est specialis illius natura, ut suprà ostendebamus colligi ex eo, quòd sequeretur dari infinitum actu, &c.

Inst. 5. Vnio non est nisi inter extrema distincta; nihil enim sibi ipsi unitur: ergo hîc supponuntur partes esse distinctæ. *Dist. Ant.* Vnio est inter extrema distincta vel actu, vel potentiâ. Item & *Dist. Cons.* Ergo supponuntur partes distinctæ vel actu, vel potentiâ. *C.* Non est autem necesse, ut supponantur habere distinctionem illam actu.

Inst. 6. Partes continui non essent unquam partes illius actu, sed tantùm potentiâ. Nam ante compositionem, nondum sunt illius partes; nec etiam ampliùs sunt ejus partes post earum

sepa-

separationem. *Dist.* In ipso continuo non sunt partes actu distinctionis. *C.* Satis est quòd sint actu entitatis, & compositionis. Post separationem possunt etiam dici partes actu, non quidem absolutè, sed respectivè ad totum, cujus aut fuerunt, aut iterum possunt esse partes.

Inst. 7. Sunt realiter ab invicem separabiles: ergo distinguuntur realiter. Nec aliam ob causam dicimus formam aliquam esse actu realiter distinctam à subjecto, nisi quia est ab eo realiter separabilis. ℞. Quæ sunt ab invicem separabilia, distingui realiter saltem potentiâ, ut partes continui. At forma realiter inseparabilis à suo subjecto, nequidem est ab eo distincta realiter potentiâ; cùm sit eadem indivisibiliter entitas cum ipso subjecto; quemadmodum in Metaph. diximus de relatione.

Inst. 8. In continuo, nemine cogitante, una pars dicit negationem alterius; id est, una non est alia. Sic enim gutta aquæ continuata cum guttâ vini, non est ipsum vinum: ergo ab ipso distinguitur realiter. *Dist.* Una pars non est alia, seu non est eadem cum aliâ indivisibiliter. *C.* Eadem divisibiliter, seu continuativè. *N.* Sicque aqua non est eadem indivisibiliter entitas cum vino cui continuata est; cùm tamen illi per continuationem identificetur divisibiliter; id est, faciat cum eo eandem entitatem continuam, seu continuum idem. Nec obstat, in allato exemplo, diversitas formarum substantialium, quominus saltem ipsæ quantitates, tum materia prima vini & aquæ, inter se continuentur: neque verò etiam repugnat, quominus dicantur continuari & formæ ipsorum substantiales.

Inst. 9. Pars quælibet aut vini, aut aquæ, in

 eo

eo continuo retinet propriam entitatem & existentiam. *C.* Ergo & propriam unitatem; unde consequenter sunt *multa una*, faciuntque multitudinem: ergo habent inter se distinctionem; neque enim est multitudo, nisi plurium distinctorum. ℞. Quia entitates hujusmodi in continuo proprios terminos non retinent, cùm potiùs illos ad invicem confundant; ideo non retinent propriam unitatem; nec remanent *multa una*, ac proinde multitudinem non faciunt, etsi retineant propriam entitatem & existentiam partialem cum entitate aliarum partium continuatam.

Inst. 10. Ex metaphysicâ, unitas idem est cum entitate, & ab eâ inseparabilis: ergo remanente eâdem entitate, remanet eadem unitas. *Dist.* Vnitas est idem realiter cum entitate, & ab eâ secundùm realitatem inseparabilis. *C.* At potest nihilominus ab eâ denominativè, seu secundùm actualem denominationem separari, sublatis certis conditionibus. Nempe entitas sub iis terminis retinet semper eandem etiam denominativè unitatem. *C.* At quando est sub diversis terminis, faciendo scilicet unum continuativè cum alio. *N.*

Inst. 11. Quæ distant ab invicem, suntque in distinctis simul locis, necesse est ut distinguantur realiter; neque enim idem, naturaliter saltem, simul est distinctis in locis. Atqui partes continui ejusdem, ut aqua, & vinum ipsi continuatum; pes & caput in eodem homine; partes extremæ in eodem baculo; palmus cœli in oriente & palmus in occidente; illæ, inquam, partes sunt distinctis in locis: ergo distinguuntur inter se realiter. *Dist. Ma.* De his quæ sunt distinctis in locis, & sub propriis terminis,

minis, illos ſcilicet per continuationem non confundendo cum aliis. *C.* Secùs. *N.* Quare pes idem eſt continuativè cum capite; ſeu facit eandem cum ipſo entitatem continuam; etſi cum ipſo non ſit eadem indiviſibiliter entitas; ut ſuprà monui.

Inſt. 12. Hæc habent ad invicem relationem realem diſtantiæ. *C.* Ergo & diſtinctionem realem; quia relatio realis non eſt niſi inter extrema diſtincta realiter. *Diſt.* Diſtincta realiter vel actu, vel ſaltem potentiâ. *C.*

Inſt. 13. Pars una poteſt agere in aliam ſibi continuatam; ut quando pars una paleæ inflammatæ, aliam ſibi proximam inflammat. *C.* Ergo diſtinguuntur ab invicem realiter: ſic enim idem in ſeipſum non ageret. ℞. Hîc ſufficere diſtinctionem realem potentiâ.

Inſt. 14. In motu, vel in Tempore, pars una diſtinguitur realiter & actu ab aliâ. Ergo à pari & in continuo permanente. ℞. Huic difficultati ſatisfiet poſteà: iſtudque negabitur de quantitate ſucceſſivâ, perinde ac de permanente.

Iam verò ex dictis ſequitur continuum ut ſic eſſe ſimplicem formaliter entitatem, cum ſolâ virtuali compoſitione ex partibus, quæ ante compoſitionem erant quidem multæ formaliter; ſed in compoſitione ipsâ fiunt quid unum continuativè & diviſibiliter. Quanquam ita eſt ſimplex entitas, quatenus non eſt multa actu, ut tamen ſit multa potentiâ realiter diſtincta; habeatque diverſas ſui partes realiter, hoc ſaltem pacto, diſtinctas; in quo differt ab alio genere entitatum ſimplicium, quæ nequidem habent partes potentiâ realiter diſtinctas.

CAP. VI. *De unione partium in continuo.*

C*Orporum* ad invicem conjunctio alia est per solam juxta positionem; alia per agglutinationem, aliis-ve tandem modis; sed hîc agimus tantùm de eâ quæ fit per *continuationem*. Dubium est enim, an partes continui uniantur seipsis; an potiùs per aliquod genus entitatis realiter superadditum. Quod quidem deberet esse *indivisibile*; alioqui si nexus hujusmodi intermedius diceretur divisibilis in partes, eadem foret difficultas de unione partium illarum; & sic fieret processus in infinitum. At

Not. 1. Illa indivisibilia, quibus inter se uniri partes continui supponunt alii, vel esse *superficies*, ad uniendas partes corporis; vel *lineas* pro partibus superficierum; vel *puncta* pro lineis. Item,

Not. 2. Non modò continuandis partibus deservire illa indivisibilia, juxta Suarem, aliosque complures, sed etiam & terminando ipsi continuo. Sic enim ajunt lineam terminari per puncta; superficiem per lineas; corpus autem per superficiem. Quanquam

Not. 3. Duobus modis sumi posse illa indivisibilia: primò, positivè, seu realiter & formaliter, id est, tanquam entitates aliquas positivè & realiter distinctas: secundò, negativè & virtualiter tantùm; ita ut corporis superficies *v. g.* nihil sit aliud, quàm ipsius corporis partes extimæ, quatenus intelliguntur habere negationem profunditatis, & æquivalere superficiei realiter distinctæ. His autem suppositis,

Dico I. Contra Suarem, partes continui inter se non uniri per aliqua indivisibilia realia, tanquam per nexus quosdam intermedios realiter di-

distinctos. *Prob.* 1. Quia illa frustra sunt; ut patebit ex solutione objectionum. *Prob.* 2. Quia illa indivisibilia realiter distincta, inferunt partes unitas esse actu realiter distinctas; quod superiori capite refutavimus; essetque perinde admittendus numerus infinitus actu illorum indivisibilium. Item, indivisibile unum non potest duas inter se partes unire, nisi illas aliquo modo attingendo: atqui hoc præstare non potest, nisi secundùm aliqua sui diversa utramque partem afficiat: atqui diversas partes non habet; quin potiùs foret penetrativè cum alterâ solùm ex iis partibus uniendis. Item, assignatis in lineâ duobus punctis, quibus pars *a.* continuetur parti *b.* tum pars *b.* parti *c.* pars hæc intermedia carere deberet punctis continuativis, etsi divisibilis est in infinitum, ergo potiori jure non deberent admitti puncta in aliis partibus. Vel certè si inter duo illa puncta nulla pars mediat, sequitur punctum esse immediatè junctum cum alio puncto, & sic dicetur continuum constare ex punctis; quod suprà ostendimus esse impossibile. Quare consequenter

Dico II. Necesse est ut partes in continuo uniantur seipsis ad invicem. Et verò etiam majorem habent proportionem ad invicem, quàm ad illa indivisibilia, quæ supponuntur ab adversariis.

Objic. 1. Meminit non rarò Arist. istorum indivisibilium; ut etiam cùm definit continuum esse id cujus partes communi termino copulantur. ℞. 1. Aristotelem modum hunc loquendi mutuari ex Mathematicis, qui ad faciliorem doctrinæ suæ explicationem, supponunt ejusmodi indivisibilia, abstrahendo à rei veritate, aut falsitate. Et verò ipse Arist. 8. *Metaph.* 14.

aliisque in locis, de illis non agit nisi ex hypothesi quòd dentur. Immò 2. *De Animalium incessu* ait expresè nullam esse indivisibilium substantiam, &c. ℞. 2. Continui partes, eo sensu, communi termino copulari, quòd partes illius uniantur sub communi, eádemque superficie. Item, *extrema esse unum*; id est, esse eandem continui entitatem.

Objic. 2. Cùm duæ aquæ uniuntur inter se, fit transitus de contradictorio in contradictorium; siquidem de non unitis denominantur unitæ, seu continuatæ. *C.* Item, hoc non fit sine aliquâ reali mutatione, & novâ aliquâ entitate. *C.* Atqui hæc alia esse non potest, quàm indivisibile, tanquam unionis modus; vel certè cum aliis admittendus foret novus aliquis *hæcceïtatis* modus. *N. Min.* Nam illa nova entitas, & terminus novæ mutationis realis, est novum individuum, seu compositum à suis partibus seorsim sumptis realiter distinctum; sufficitque istud ad solutionem difficultatis.

Notandumque est obiter, res liquidas hanc habere ex naturâ suâ proprietatem, ut immediatè juxta positæ, uniant sese ad invicem, & fiant unum continuum.

Inst. 1. Non possunt aliqua fieri unum per se, ni saltem sese habeant ad invicem ut actus & potentia; quod non convenit partibus continui. ℞. Hîc sumi unum per se, prout opponitur composito per accidens, aut per solam juxtapositionem. Item ℞. Habere hoc ex naturâ suâ partes continui, ut ita continuentur de facto, etsi non habeant rationem actus & potentiæ: hoc enim convenit iis tantùm, in quibus unitur actus cum subjecto.

Inst. 2. Possunt divinitus saltem duæ aquæ poni

poni simul etiam penetrativè, quo tamen in casu non fiat unio continuationis. Ergo ad istud determinari debent per aliquod indivisibile, aut per aliud quippiam id genus. ℞. De se ad illam unionem, positâ hujusmodi conditione, esse determinatas; & necessariò illam sequi, nisi aliqua durities, aut alia qualitas impediens, divinitus accedat.

Inst. 3. In V. Eucharistiæ Sacramento sanguis Christi Domini totus est simul loco, nec tamen sanguis *v. g.* pedum confunditur, aut continuatur cum sanguine capitis, aut aliarum partium; quod oriri non potest nisi ex defectu indivisibilis, aut similis alicujus modificationis determinativæ. ℞. Christi sanguinem in eo statu, ita esse simul loco, ut tamen servet ordinem cum aliis partibus ejusdem corporis. Quare, qui suis est inclusus vasis, non potest hoc modo cum alio permisceri; quomodo sanguis unius arteriæ, non potest simul esse cum sanguine alicujus venæ.

CAP. VII. *Corporis Quanti, seu Continui terminatio: tum de illius contactu.*

Ut punctum vulgò dicitur esse terminus lineæ; & linea superficiei, ita & ipsa superficies corpus terminat; quemadmodum jam monui; ideoque solent hoc loco appellari *indivisibilia terminantia.* Quæritur verò an istæ sint aliquæ entitates realiter distinctæ.

Dico I. Non habere ullam distinctionem realem, seu entitativam. *Prob.* Quia frustra esset. Nam ex eo ipso quantitas intelligitur finita seu terminata, quòd habeat negationem ulterioris extensionis. Et verò si ejusmodi superficies in corpore naturali, quam adversarii

supponunt esse realiter distinctam, si inquam, per absolutam Dei potentiam destrueretur, corpus illud non desineret esse terminatum; quia idcirco non redderetur infinitæ extensionis. Ergo superficies realiter distincta ad id muneris est superflua. Deinde, cùm duæ aquæ simul continuantur, tunc interire deberent superficies earum terminativæ, productis indivisibilibus continuativis: & è contrà, ubi separantur ab invicem, tunc deberent accipere de novo superficies sui terminativas: nec tamen assignari posset earum causa productiva: ergo nec earum productio de novo est admittenda. Quare consequenter

Not. 1. Illa indivisibilia terminantia non esse realiter & positivè in quantitate, sed tantùm virtualiter, & cum virtuali distinctione; quatenus quantitas ipsa secundùm extimas sui partes idem præstat, quod ejusmodi indivisibilia realiter distincta, iisque æquivalet. Sic enim planum dicitur tangi ab alio plano, non secundùm profunditatem, quia hoc pacto fieret naturaliter corporum penetratio; sed tantùm secundùm extimas partes, prout æquivalent superficiei realiter distinctæ, seu secundùm superficiem virtualem. Quo etiam pacto cylindrus tangit planum, aut alium cylindrum, secundùm lineam virtualem; ac denique globus perfectus alium globum, aut planum aliquod non tangit, nisi secundùm punctum virtuale. Item,

Not. 2. Nulla ex iis quæ dicuntur formalia, tum positiva & realia indivisibilia esse in quantitate admittenda, sive *componentia* mathematica, aut physica; sive *continuantia*; sive etiam *terminantia*, nisi virtualis. Quinetiam probabilius existimem esse impossibile hujusmodi indivi-

divisibile mathematicum realiter seu entitativè distinctum, atque ita nihil esse quod aliquâ ratione non participet divinam immensitatem beneficio alicujus extensionis sibi propriæ. *Prob.* Si enim, ut ajunt, punctum esset possibile, unde etiam posset Angelus *v. g.* sese ad punctum reducere; posset consequenter sese ad lineam in longum veluti conformare: quia non esset potior ratio unius quàm alterius; & sic posset extendi in infinitum, ut demonstravi in Geometriâ. Atqui hoc consequens absurdum est; ergo & antecedens. Item, si daretur aliqua *v. g.* superficies realiter distincta & separata, posset secundùm idem esse concava & convexa; tum secundùm idem respicere orientem & occidentem simul; (neque enim hoc præstaret secundùm diversas sui partes etiam virtuales oppositas, quia partes nullas haberet ejusmodi.) Atqui hoc per se repugnat. Ergo & illud unde sequitur.

Objic. Linea, superficies, & corpus sunt species reales quantitatis continuæ permanentis. *C.* Ergo sunt inter se realiter distinctæ. *N. Cons.*

Inst. 1. Nemine cogitante dicunt negationem sui invicem; id est, unum non est aliud. Ita enim superficies non est profunditas, &c. *Dist.* Non est formaliter atque indivisibiliter idem cum profunditate; *C.* Sed tamen cum ipsâ profunditate idem est realiter divisibiliter. Sicque omnis superficies est realiter profunda. Item, linea omnis realiter est lata & profunda; quod per proportionem dicendum est de puncto virtuali, in quo dicitur tangi planum à globo perfectè rotundo.

Inst. 2. Multa fiunt realiter secundùm superficiem, puta contactus corporum, quæ non fiunt

ſecundùm profunditatem. C. Ergo hæc diſtinguuntur inter ſe realiter. N. *Conſ.* Quia eadem entitas continua ſecundùm diverſas virtualitates hæc præſtare poteſt.

Inſt. 3. Non poſſent contiguorum extrema fieri ſimul, juxta doctrinam Ariſtotelis, niſi ſupponerentur habere ſuperficies realiter diſtinctas, quæ ſimul penetrativè exiſtant; nam impenetrabilitas eſt propria duntaxat corporis, ſeu quantitatis profundæ. ℞. Explicari aſſertione 3. quo ſenſu illa Ariſtotelis verba accipienda ſint in definitione contiguorum.

Inſt. 4. Fit ſæpe nova ſuperficies, eâdem prorſus remanente profunditate: C. Ergo diſtinguitur realiter. N. *Conſ.* Quia non fit ſecundùm novam realitatem, ſed tantùm ſecundùm novam formalitatem. Quod perinde ſtatuendum eſt de figurâ, quæ eſt aliquid neceſſariò conſequens ad corpus extenſum. Nam

Dico II. Figura eſt certam corporis quanti partibus diſpoſitionem tribuens. Nec illa partium diſpoſitio diſtinguitur realiter ab extenſione locali. *Prob.* Quia fruſtra foret diſtinctio ejuſmodi; cùm ſufficiat formalis. Quare dum cera *v. g.* remanente etiam eâdem extenſione locali, de quadratâ per ſolam compreſſionem fit rotùnda; eſt quidem effectus novus realis, ſed tantùm ſecundùm novam formalitatem, non autem ſecundùm novam realitatem. Habes autem ex Geometriâ, quænam ſint figurarum genera & ſpecies: item quænam ſit earum tum natura & proprietates: agiturque hîc ſolùm de circulari & ſphæricâ, an ſcilicet dari poſſit corpus perfectè ſphæricum, cujus partes extimæ omnes æqualiter diſtent à centro. Nec apparet ratio ulla cur iſtud ſit abſolutè impoſſibile.

Quod

Quod enim ajunt illud non esse absolutè perfectissimum, quod fieri potest perfectius in infinitum. *Tr.* Atqui sphæricum potest fieri perfectius. *N.* Non enim suscipit magis & minùs in ratione circularis, aut sphærici, quanvis possit esse major, vel minor circulus, aut sphæra, cum majori, aut minori partium singularum curvitate. Nam circuli ejusdem partes sub eâdem diametro eandem necessariò talem vel talem servant curvitatem, cum æquali distantiâ à suo centro. Quanquam alii distinguunt inter circulum, aut sphæram physicè, id est, ex partibus continuis; & mathematicè, id est, ad imaginationem mathematicorum sumptam, constantem nimirum ex punctis, ut supponunt. Atque hujusmodi solùm vel sphæram, vel circulum ex punctis realibus dicimus esse impossibilem.

Dico III. Alia corporis quanti proprietas est contactus & contiguitas. Contigua sunt ea, inquit Arist. quorum extrema, id est, superficies sunt simul: eo nimirum sensu, quòd nihil inter eas mediet; non autem quòd corpora contigua suas superficies habeant simul & penetrativè positas; ut aliqui tradunt sine ullo rationis fundamento. Item contactus vulgò dicitur esse unius corporis ad aliud applicatio sive immediata, sive mediata.

Notabis autem ex communi sententiâ, vix dari actu contactum immediatum inter corpora saltem solida, quòd semper aliquis medius aër interjiciatur. *Prob.* Quia inde solùm oritur sonus, quòd aër inter corpora ejusmodi interceptus collidatur; ut suo loco exponam. Item, quando planum alteri plano adæquatur simul secundùm omnes partes, omnis aër inter plana illa diffusus deberet simul totus recedere; & sic

fieret motus aëris illius in instanti; quod admitti non debet: ergo neque id unde sequitur. Item, explicari alioqui non posset quomodo clavus ligno infixus extraheretur inde, non relicto vacuo, nisi dixerimus, vel aërem intermedium tunc rarefieri ad replendum vacuum; vel saltem esse aliquid spatii ad latera, per quod novus aër subeat ad impediendum illud vacuum. Atque hinc etiam consequens est virgam, aut ferulam dum infligitur, non immediatè applicari, sed mediante solùm aëre.

Notabis tamen 2. Posse divinitùs saltem immediatè applicari solidum cum solido. Quid enim implicat quominus per divinam potentiam, sic admoveantur ad invicem, ut nihil mediet?

Objiciunt. Duo corpora diversa hoc modo simul essent loco; atqui hoc repugnat. *Dist. Ma.* Simul essent loco adæquato, eo sensu, quòd simul constituerent locatum adæquatum amplioris loci occupativum. *C.* Simul essent, eo sensu, quòd unum alterius etiam corporis loco simul coëxisteret. *N.*

Inst. 1. Sequeretur planum perfectum tangi posse à globo perfecto. *Tr.* Atqui hoc repugnat teste etiam Arist. 3. *Metaph. t.* 8. Ratio est, quia tangere aliud corpus, est illi adæquari; non potest autem sphæricum perfectum adæquari cum plano; siquidem ab eo tantùm attingi potest secundùm indivisibile punctum, saltem virtuale, ut suprà dictum est. ℞. 1. Aristotelem eo loco loqui de globis, quales vulgò conficiunt, qui quidem cum perfecti non sint, mirum non est si nequidem in puncto virtuali globum alium, aut planum tangant. At ℞. 2. Tangere, non esse alteri adæquari, sed tantùm appli-

applicari. Item, neque etiam rectè diceretur commensurari; hæc enim ratio loquendi in ea tantùm cadit, quæ sese tangunt divisibiliter, & secundùm idem extensionis genus.

Inst. 2. Globus ille tangeret simul indivisibiliter, & divisibiliter. Nam tangeret secundùm aliquid sui: atqui nihil habet nisi divisibile: ergo tangeret secundùm aliquid divisibile: ergo & divisibiliter. Quod repugnat cum primâ parte propositionis, quâ dicitur tangere indivisibiliter. ℞. Tangit quidem secundùm aliquid sui realiter divisibile; sed tamen virtualiter indivisibile; seu prout secundùm aliquid sui inadæquatè sumptum æquivalet puncto indivisibili. Ita per proportionem fatentur vulgò omnes, planum tangi immediatè ab alio plano indivisibiliter secundùm superficiem virtualem & formaliter indivisibilem, quæ tamen simul realiter sit divisibilis secundùm profunditatem.

Inst. 3. Globus ille, dum volveretur supra planum, in eo designaret lineam, quæ consequenter diceretur constare ex punctis, seu ex fluxu puncti. Atqui ostendimus non posse lineam constare ex punctis. ℞. Designaret quidem lineam virtualem; non ideo tamen diceretur constare ex punctis, quia lineam illam non describeret nisi per motum continuum, non autem puncta & puncta successivè designando.

Inst. 4. Posset & punctum reale, tum lineam realem designare, si colore aliquo imbutus globus, illum plano imprimeret. ℞. Materia illa colorata quam globus in plano relinqueret, non posset non esse realiter extensa & divisibilis: nihil enim supponitur esse in superficie illius globi, nisi realiter divisibile: quanvis ratione

figuræ, globus tangendo vel globum alium, vel planum, illi applicetur tantùm indivisibiliter, ratione puncti virtualis.

Inst. 5. Globus puncto illo virtuali divideret saltem aërem; quo in statu aër divinitùs saltem conservatus, retineret vacuum illud realiter indivisibile; quod etiam repleri posset alio indivisibili reali: ergo sic admitteretur reale indivisibile. ℞. Nullum in eo casu fore spatium, aut distantiam extremorum in spatio fundatam; quia spatium omne dicit aliquod extensionis genus: neque extrema illa per contactum globi à se invicem divisa haberent se alio modo, quàm duo plana immediatè applicata ad invicem; non enim magis distarent: quia indivisibile non facit distantiam.

Notabis igitur, stare nostram sententiam in omni hypothesi, sive admittatur globus tangens in puncto mathematico, sive negetur; & in quacunque hypothesi sufficere indivisibilia virtualia, ad omnes difficultates explicandas.

CAP. VIII. *Corporis Quanti rarefactio, & condensatio.*

QVia solùm beneficio localis extensionis perficitur rarefactio & condensatio; ad hunc maximè tractatum attinet quæstionis istius explicatio.

Notabis enim 1. Aliam esse rarefactionem, aut condensationem impropriè dictam, ut quando spongia, aut cera comprimitur, vel dilatatur manu; ideóque tantùm unâ ex parte vel crescit, vel minuitur, quantùm vel decrescit, vel augetur ex aliâ. At in rarefactione propriè dictâ & naturali, partes omnes quantùm est de se omnem in partem dilatantur. Vt quando aqua,

aqua, vel lac in lebete, igne suppoſito intumeſcit, totumque incipit replere lebetem ſine ullâ novæ materiæ additione: cùm è contrà in condenſatione detumeſcit. Certè per additionem aut novæ aquæ, aut lactis novi, aliorumve id genus corpuſculorum, ſive aqua, ſive lac non creſcit; quod enim in eo caſu principium illius materiæ productivum aſſignari poſſet? Item, ut ſermo ſit tantùm de quantitate eſſentiali, prout diſtinguitur ab extenſione locali.

Not. 2. Non acquiri novam ejuſmodi quantitatem veteri deperditâ. *Prob.* Quia pereunte ſubjecto, pereunt accidentia quæ ipſi inhærent. Ergo ſi periret vetus quantitas, perirent conſequenter & qualitates accidentales, tum notæ, & characteres ipſi exiſtentes: quod repugnat experientiæ. Deinde, cùm ſpecies conſecratæ ad ignem applicatæ rareſiunt, deſinente ipsâ veteri quantitate, deſinerent & omnes ſpecies conſecratæ; nec proinde ſub iis ampliùs contineretur Chriſti Domini corpus. Item, quæ nova quantitas eo in caſu contingeret, produceretur extra omne ſubjectum: quod naturaliter fieri non poteſt. Præterea verò

Not. 3. In rarefactione, veteri quantitati non addi aliam novam, neque in condenſatione interire. *Prob.* Quia nova quantitas veteri accedens, vel ſimul cum eâ eſſet in eádem parte materiæ; & ſic daretur naturalis penetratio; vel certè careret omni ſubjecto; quia nulla eſſet pars materiæ, quæ à veteri quantitate non informaretur. Item, in rarefactione ſpecierum conſecratarum, non poſſet explicari cuinam ſubjecto adveniret nova quantitas; neque illa nova quantitas contineret Chriſti Domini corpus, quia non foret conſecrata. Quare, cum alia

alia ratio explicandæ rarefactionis, aut condensationis non superſit.

Dico conſequenter I. Fieri tantùm illam per majorem aut minorem extenſionem localem, quæ de novo in iiſdem quantitatis partibus producatur. *Conf.* Quia hoc ipſo quòd eædem partes intelligantur poſitæ ſub majori extenſione locali, quantitas intelligitur eſſe rarior; aut è contrà. Et verò, proprium eſt illius formæ facere magis, aut minus extenſum localiter, quæ ſimpliciter facit extenſum localiter. Quod ſolùm competit extenſioni locali, per quam ipſa quantitas eâ ratione modificatur.

Notabis igitur 1. Raritatem eſſe paucitatem materiæ ſub majori extenſione locali. Rarefactionem autem eſſe acquiſitionem majoris extenſionis localis in iiſdem partibus materiæ. Ac denique illud dici rarum, quod ſub majori extenſione continet pauciores partes materiæ. Denſum autem è contrà. Neque alia eſt ratio cur *v. g.* ignis condenſatus fortiùs agat, niſi quia de facto plures habet materiæ partes ſub minori extenſione locali. Item

Not. 2. Quantitatem eandem hanc de ſe indifferentem eſſe ad majorem, aut minorem extenſionem localem: & ſic poſſe vel minimam quantitatem, putà granum ſynapis, per Divinam poteſtatem creſcere ad magnitudinem totius mundi; totumque ipſum mundum factâ minori extenſione locali contrahi ad parvitatem grani ſynapis. Item ètiam conſequenter

Not. 3. Nullam eſſe raritatem aut denſitatem in corpore quanto, ſublatâ extenſione locali. Sicque in corpore Chriſti Domini poſito in V. Euchariſtiâ, partes aliæ, defectu localis extenſionis, non ſunt formaliter & actu aliis

ratio-

rariores, sed tantum radicaliter, quatenus de se habent eas partes entitativas, quæ postulant talem extensionem localem.

Not. 4. In motu rarefactionis, cum partes eædem recipiant successivè majorem & majorem extensionem localem, non ideo plures simul remanere illius extensionis localis *modos*, quia per formalem incompossibilitatem unius cum alio, priores successivè intereunt, ad productionem successivam posteriorum.

Dico II. Raritas & densitas non habent determinatæ causæ genus. Modò enim raritas ex calore, modò ex aliis qualitatibus prodit. Quanquam in istis sublunaribus vulgò æstimatur consequi ad calorem; quia in iis de facto calor præcipuè est causa raritatis. At

Dico III. Ex rarefactione prodeunt varii effectus. Qualis est vis illa & impetus, quo emittitur globus ex tormento bellico, ob subitam & vehementem rarefactionem, quam ignis in pulvere sulphureo conceptus ex se naturaliter emanat. Cujusmodi etiam effectus innumerabiles contemplari licebit in rebus meteorologicis.

APPENDIX. *De Intensione Qualitatum.*

HIc subjicienda est disputatio de *intensione* qualitatum, quia per aliquam proportionem cum extensione locali explicari debet.

Suppono igitur proprium esse qualitatis ut intendatur, aut remittatur, id est, ut suscipiat magis aut minus; seu fiat majoris, aut minoris perfectionis; unde etiam reddatur vel magis, vel minus activa. Sic lumen, aut calor idem modò intensior est seu vehementior, modò remissior, unde & subjectum dicitur vel magis, vel minus calidum; atque ita de aliis: quam-

quamobrem intensio definiri solet; Perfectio qualitatis in eádem parte subjecti: & sic qualitas sumitur non tantùm secundùm *extensionem* quam habet in subjecto materiali localiter extenso, sed etiam secundùm *intensionem*. Cujus quidem intensionis latitudo à philosophis dividi solet certas in partes, quas *gradus* vocant; atque intensissimæ quidem qualitati gradus octo attribuunt; quorum primi dicuntur *remissi*; excellentes autem vocantur *intensi*.

Notandumque est, eo sensu qualitatem, ubi intenditur, magis veluti radicari in subjecto, ut quidem loquuntur alii, quia hoc modo vires acquirit majores, unde fortiùs inhæreat subjecto, difficiliúsque ab eo expelli possit. Tunc autem accidens, quemadmodum habetur in metaphysicâ, simpliciter est radicatum in subjecto, quando ab eo emanat, & emanativè in eo conservatur, ut calor in igne. Item

Not. 2. Non fieri ejusmodi radicationem, seu majorem intensionem, nisi per additionem novæ alicujus entitatis & perfectionis. *Prob.* Quia idem entitativè calor sine ullâ novæ perfectionis realis additione, non faceret subjectum magis calidum, nec foret magis activus; item, nec deberet dici calor in igne esse major quàm in aquâ tepidâ; perinde enim est utrobique in omnibus subjecti sui partibus. Item, neque ex eo præcisè dicitur fieri intensior, quòd removeatur qualitas contraria. Quia intenduntur qualitates etiam quæ non habent contrarium; ut lumen. Ita charitas, ex Concil. Trid. intenditur, abstrahendo ab omni contrario, siquidem non reperitur cum statu peccati mortalis. Quod perinde existimandum est saltem de multis aliis qualitatibus spiritualibus. Quanquam nihilominus,

Dico

Dico I. Qualitas non intenditur per additionem qualitatis unius ad aliam ejusdem rationis qualitatem, seu per gradus realiter distinctos, sive homogeneos, id est similis inter se perfectiónis, sive heterogeneos, id est majoris & majoris perfectionis, saltem individuæ. Sic Arist. 8. *phys. t.*84. ubi ait *ex calido fieri magis calidum, nullo facto in materiâ calido.*

Probatur 1. De homogeneis. Quia intensio est quædam qualitatis perfectio, unde consequenter se habet ut perfectivum, comparativè ad ipsam qualitatem tanquam ad perfectibile. Atqui perfectivum & perfectibile non sunt ejusdem rationis; sunt enim ut actus & potentia. Et verò si multi calores, etiam rationis ejusdem simul positi, calorem constituunt non tantùm extensivè, sed & intensivè perfectiorem, fieri tunc posset calor infinitè perfectus, si calor qui diffusus est per omnes subjecti partes in unam cogeretur; ergo & esset infinitè activus. Quod quidem argumentum valet maximè contra eos qui supponunt in quantitate partes esse actu distinctas. At saltem contra alios sic urgeri potest: Non opus est majori virtute in igne ad producendas caloris partes illas quascunque in eadem parte subjecti, quàm in variis subjectis. Ergo cùm possit in variis subjectis in infinitum, quæ ritè circùm apponerentur, partes caloris varias producere, ut omnes fatentur; posset & in eâdem. Immò calidum ut duo posset producere calidum ut octo, & plures in infinitum; Nam in octo & pluribus in infinitum subjectis circumpositis posset producere aliquos gradus caloris, qui, Divinitus saltem, coacti unam in partem subjecti, redderent summæ illius intensionis calorem. Quinetiam & deberet idem præstare in eâdem

eádem parte subjecti, quod præstat in pluribus circa positis. Neque enim secundus & alii consequentes gradus superarent vim illius activam, siquidem supponuntur esse omnes ejusdem rationis. Item, in eâ sententiâ, simile secundum intensionis gradum, puta calidum ut quatuor posset agere in aliud simile. Posset enim alium gradum caloris super illi addere: quid enim impediret, si omnes sunt perfectionis ejusdem?

Omitto dicere, quòd in eâ sententiâ, plura accidentia solo numero distincta reperirentur naturaliter in eádem parte subjecti. Quod quidem etsi verum est de accidentibus intentionalibus, ut habetur in Tract. de Anima sens. *Disp. 2. De specie intentionali, cap. 2.* Vt quando plures species intentionales objectorum similium sunt in eâdem parte aëris; aut quando simul habeo plures cognitiones distinctas hominum diversorum: idem tamen non contingit in iis maximè accidentibus, quæ dicuntur alterativa, & dispositiva ad formam substantialem; ne simili ratione dicerentur esse naturaliter posse plures simul formæ substantiales in eâdem materiâ. Quod repugnat iis quæ docuimus in hac Phys. univers. *primâ parte Tract. 1. Disp. 3. cap. 2.*

Prob. 2. De gradibus heterogeneis. Cùm enim in istâ sententià supponatur unus gradus ab alio perfici; consequens est ut sit diversæ ab illo rationis; siquidem, ut suprà ajebam, perfectivum & perfectibile non sunt ejusdem speciei. Atqui qualitas ab aliâ diversæ speciei non intenditur, ut patet inductione. Item, secundus gradus est perfectioris virtutis quàm primus; adeoque per se præstat id quod fieri potest à primo: ergo frustra remanêret primus cum secundo;

cundo; & sic de aliis: ergo non essent plures simul distincti gradus ejusdem qualitatis in eâdem parte subjecti. Denique verò, ubi calidum ut 8. agit in frigidum ut 8. singuli caloris gradus deberent agere in singulos frigoris oppositi gradus. Quid enim vetaret? Ergo simul omnes expellerentur, simulque produceretur totus calor ut 8. quod repugnat experientiæ. Quare ut probabiliùs philosopher cum Aristotele, loco citato, & cum insignioribus Thomistis ex mente D. Thomæ:

Dico II. Novam eam entitatem quæ producitur in intensione, aut remissione; & per quam ipsa qualitas magis aut minùs subjectum afficit; novam, inquam, eam entitatem esse novum quemdam modum & actualitatem, seu perfectionem qualitati realiter superadditam; quo pacto per proportionem extensio localis est modus aliquis quantitati superadditus, per quem in ordine ad locum perficitur. *Prob.* Quia refutatis superioribus sententiis, nihil superest, nisi ut istud afferamus, juxta Aristotelem; nec ullam patitur difficultatem hæc philosophandi ratio. Ergo est admittenda.

Notabis igitur 1. Quòd quemadmodum quantitas non existit naturaliter sine modo extensionis localis sibi superaddito, ita nec qualitas sine modo intensionis. Item, ut modus extensionis localis non est quantitas, sed tantùm ipsius quantitatis perfectio quædam modificativa; nec in rarefactione, aut condensatione acquiritur aut deperditur nova quantitas, sed tantùm illa modificatio: ita in intensione, aut remissione *v. g.* caloris, remanet semper eadem qualitas essentialis, puta calor idem essentialis, aut acquiritur, aut deperditur novus

calor,

calor, sed tantùm ille intensionis modus, qui propriè etiam non appellatur qualitas. Item, sicut quantitas eadem de se est indifferens ad quamcunque extensionem localem; ita perinde per proportionem qualitas eadem & ad quamcunque intensionem.

Notabis enim 2. Modum hunc intensionis fieri perfectiorem & perfectiorem quasi per gradus quosdam virtuales, ita ut quæ actualitas, seu modus intensionis est perfectus ut 4. superet in perfectione actualitatem seu modum ut 3. vel ut 2. vimque illorum & perfectiones in se contineat eminenter. Etsi antem illæ qualitates perfectiores & perfectiores, habeant aliquam inter se heterogeneïtatem; non differunt tamen plusquam numero; majorque illa aut minor perfectio sequitur tantùm ad differentiam individualem. Certè species intentionalis repræsentativa Petri, magis differt à specie repræsentativâ Pauli, quàm ab aliâ specie repræsentativâ ejusdem Petri; nec tamen illæ omnes species differunt inter se nisi individuo; ergo non omne quod plusquam numero differt, saltem secundùm quid, differt specie essentiali. Item

Not. 3. Modum illum intensionis, prout sumitur *in fieri*, quando fit successivè, esse ens successivum, quod fit per partes post partes, non tamen simul permanentes; eâ per proportionem ratione quâ dicunt alii in motu locali successivè produci ubicationem fluentem; tum ubicationem illam fieri permanentem, quando ampliùs ultra non tenditur. Quòd autem partes ejusmodi priores & posteriores non remaneant simul. *Prob.* Quia frustra permanerent priores cum posterioribus, siquidem istæ sunt

præ-

præstantiores, possuntque idem & perfectiori modo præstare quod priores. Ergo necesse est perire priores per formalem incompossibilitatem cum istis posterioribus.

Not. 4. Intensionis modum hunc conservari in qualitate per vim ipsius veluti emanativam, nec remittitur, saltem in contrariis qualitatibus, nisi posito contrario tanquàm conditione sine quâ non. Ita enim calor *v. g.* cùm in sui conservationem incumbat quantùm potest, non emanat remissiorem intensionis modum, nisi eâ proportione quâ redditur insufficiens ad retinendum perfectiorem; propter contrarietatem qualitatis oppositæ. Quæ autem inter naturales qualitates non habent contrarium, ut lumen, illæ ut plurimùm intensionis modum suum non conservant ullâ ratione sine influxu actuali agentis à quo pendent in suo esse: nec *v. g.* luminis intensi remissio explicatur, nisi ex eo quòd minorem influxum recipiat ab agente sui productivo.

Not. 5. Latitudinem intensionis, etsi respectu potentiæ Divinæ crescere in infinitum possit, naturaliter tamen certos habere terminos, tum virtute agentis naturalis, tum capacitate subjecti, seu rerum ipsarum exigentiâ definitos. Primò enim cùm agens naturale vim habeat tantùm finitam, non potest attingere effectus nisi finitos. Quod autem spectat ad ipsum subjectum, puta corpus naturale, talem tantùm postulat, non majorem qualitatum suarum intensionem; alioqui destrueretur, puta si lignum fieret calidum ut 8; & sic de aliis.

Dico III. Rei cuilibet propriè & per se non convenit intendi, aut remitti. Ita ex Aristot. essentiæ dicuntur esse ut numeri. Quemadmodum

dum enim *v. g.* binarium non potest esse magis aut minùs binarium, quàm aliud quodvis binarium; ita per proportionem homo non potest esse magis homo, quàm quivis alius homo; quamvis secundùm accidentalia, aut etiam personalia possit esse perfectior. Quam ob caussam inter substantialia, forma substantialis dicitur non recipere magis & minùs. Quod satis ipsâ patet experientiâ. Si enim imminuto aquæ frigore, forma substantialis aquæ defectum pateretur; non posset sese ad pristinum gradum revocare; uti videmus contingere. Et verò cùm forma substantialis detur *supposito*, tanquam fundamentum ipsius *esse* completi, & omnium proprietatum; necesse est consequenter ut illud sit fixum atque invariabile.

Quod spectat quantitatem, etsi potest esse major & minor, certum est quoque ipsam non recipere magis aut minùs: quo pacto bipedale non potest esse magis bipedale; si enim excederet, jam desineret esse bipedale. Et sic de aliis.

Item; nec Relationi per se convenit intensio vel remissio. Quòd enim *v. g.* albedo dicatur fieri cum alia albedine magis aut minùs similis, illud oritur solùm ex majori aut minori intensione qualitatis.

Dico igitur I V. Qualitatibus duntaxat propriè & per se convenit intendi aut remitti. Quanquam nec omnis qualitas suscipit magis & minùs. Primò enim figura, quæ ex Aristotele habet locum inter qualitates, licet possit esse major aut minor, non tamen suscipit magis & minùs. Quo pacto sphæricum non potest esse magis sphæricum, &c. Ita nec quædam qualitates secundæ speciei, ut animæ facultates, nonnullæ saltem, non suscipiunt magis & minùs.

Cùm

Cùm enim anima emanet suas facultates, nonnullas saltem, quantùm potest, quia contrarium non habent, nihil impedit quominus illas habeat secundùm omnem perfectionem. Sicque ajunt vulgò de intellectu, de voluntate, & de nonnullis aliis, quæ licet modò perfectiùs, modò imperfectiùs operentur, id evenit solùm ex defectu qui reperitur in organo.

DISPVTATIO II.
DE INFINITO.

CAP. I. *Natura infiniti.*

INfinitum esse illud dicitur, quod finem seu terminum non habet; & à quo secundùm quantitatem accipientibus, semper aliquid superat accipiendum. Et in eâ quidem *infiniti* acceptione convenire omnes debent, ne in instituendis generis istius quæstionibus, sola sit disputatio de nomine. At

Not. 1. Aliud esse infinitum *secundùm essentiam*, seu quod in sua ratione essentiali possibiles omnes perfectiones continet. Aliud verò est infinitum duntaxat secundùm accidens, quod in aliquâ ratione sibi accidentali finem non habet: puta si corpus dicatur esse extensionis infinitæ; si calor infinitæ intensionis; si res fuerint numero infinito, &c. Prætereà

Not. 2. Aliud quoque esse quod dicitur tantùm *comparativè* infinitum; quando res tantæ est perfectionis, ut possibilibus aliis inferioris ordinis etiam infinitis dignitate præstet. Quo pacto *v. g.* homo species tum plantarum, tum brutarum animantium omnes in infinitum possibiles superat naturæ perfectione; quanvis ipse

ab alio, puta ab Angelo superetur. Alioquin illud dicitur *absolutè* infinitum, quod alia omnia superat, & à nullo superatur. Agiturque tantùm hoc loco de isto genere infiniti. Item,

Not. 3. Aliud etiam duplex esse infiniti genus: ac primò quidem *infinitum actu*, secundò autem, *infinitum potentiâ*. Infinitum actu illud est, quod secundùm rationem suam actualem, seu secundùm ea quæ actu continet, nullo terminatur fine. Vocaturque infinitum *simpliciter*, & *categorematicè*; quia, quemadmodum in Dialecticâ terminus ille dicitur categorematicus, qui per se, & absque addito significat: ita illud dicitur infinitum categor. quod simpliciter est infinitum. Nam

Infinitum potentiâ illud dicitur, quod in ratione actuali quam habet, aut quæ in eo assignari potest, semper quidem est finitum, sed est simul cum potentiâ ad aliud sine termino. Cujusmodi ratio infiniti rebus iis convenit, quæ semper crescere, aut minui possunt; vel si lubet, in quibus fit processus in infinitum sine termino. Vt quando ajebamus continuum esse divisibile in infinitum. Vocatur autem infinitum duntaxat *secundùm quid*, & *syncategorematicum*, quia de se est tantùm quid finitum, nec habet rationem infiniti, nisi quatenus semper est in potentiâ ad aliud; unde & appellari solet *infinitum potentiâ*. Quamobrem

Not. 4. Istud infiniti genus medium tenere locum inter finitum simpliciter ac simpliciter infinitum; & habere utriusque participationem quandam: Nam quæ in eo sunt actu, aut determinata, semper finita sunt, non tamen sine potentiâ ad aliud in infinitum. Quamobrem solemus dicere in eo esse *finita in infinitum*; seu *non*

tot

tot quin plura. Item, infinitum illud dicitur esse essentialiter indeterminatum; quòd semper involvat potentiam ad aliud indeterminatè, & sine termino. Quare ut de naturâ infiniti in communi statuamus:

Dico I. Contra nonnullos recentiores, infinitum claudi terminis non potest. Ita Arist. 8. *phys.* dum negat fore primum movens, aut primam causam, si datur processus in infinitum quoad causas subordinatas & actu existentes. Nam in infinito, ut inquit, non potest reperiri terminus. Tum *lib. de sensu & sensibili c.* 6. quorum sunt ultima, seu extrema, ea necessariò finita sunt. Alioquin unde opponeretur infinitum finito? cur perinde aliquod finitum dici non posset infinitum, si infinitudini non obstat *finis* aut *terminus?* Et verò etiam inde sequeretur quantitatem *v. g.* pedalem esse actu infinitam. Quod ostendo, *suppositâ figurâ* 12. *Tabulæ ad finem libri appositæ*, in quâ supra pedalem basim *b. c.* fingantur esse producta latera infinita hæc duo, nempe latus *b. a.* perpendiculare, tum latus *c. a.* cum ipso concurrens tandem in puncto *a.* siquidem, ut volunt, potest infinitum sic terminari. Quâ factâ hypothesi, designentur in latere *a. c.* partes semipedales infinitæ non enim repugnat designari partes ejusmodi infinitas in longitudine quæ supponitur esse infinita. Deinde ex singulis illis partibus semipedalibus ducantur lineæ parallelæ lateri *a. b.* quæ proinde cadant perpendiculariter in basim *b. c.* Ex his erit consequens ut in basi *b. c.* designentur partes infinitæ alicui determinatæ parti æquales; tum quantitatem hanc pedalem *b. c.* esse actu infinitam, quod implicat; ergo implicat & antecedens unde istud infertur, nimirum posse

dari infinitum clausum terminis. Atque inde consequenter

Dico II. Infinitum pertransiri non potest. *Prob.* Quia finis illius attingi non posset; siquidem careret fine. Item, magnitudo infinita nullam haberet proportionem, saltem mathematicam, cum finitâ: hæc enim in infinitum replicata, ipsam adæquare nunquam posset; quia ipsam pertransire totam nequiret. Item, à quantitate infinitâ possent in infinitum novæ & novæ magnitudines, uni etiam certæ æquales & majores accipi; nec tamen exhauriretur unquam. Quia ex hypothesi finem non haberet.

Dico III. Non potest etiam id quod est actu infinitum, ab alio superari, seu esse illo minus. *Prob.* Quia quatenus ab eo superaretur, seu quatenus post ipsum relinqueretur, ut ajunt, tum intelligeretur esse finitum: ergo simul esset finitum & infinitum. Item, superaretur excessu vel finito vel infinito; si infinito solùm; inde sequeretur rem etiam superantem non esse infinitam, quia finitum non superaret nisi finitâ magnitudine, quæ consequenter pertransiri posset. Sin excessus ille est infinitus, sequitur rem superatam non esse infinitam, in quâ scilicet desideraretur perfectio infinita. *Respondent* adversarii: Quomodo ex duobus *v. g.* numeris hominum finitis, posset alter crescere in infinitum materialiter, additis nimirum novis & novis hominibus qui sunt subjectum seu materia illius numeri, nec tamen ille numerus desineret esse formaliter finitus. Ita, inquiunt, potest unum infinitum esse alio majus secundùm materiale, cùm tamen in ratione formali infiniti non fiat magis & minùs, nec unum ab alio superetur. Sed *negatur paritas*. Quia excessus finiti

finiti supra finitum, in eo non destruit rationem finiti: quia finem, seu aliquam semper ultimam unitatem servat. At multitudo *v. g.* hominum quæ ab aliâ superatur pertransiturque, ex eo præcisè quòd pertransitur, intelligitur habere finem, seu terminum. Neque enim quidquam ab alio pertransitur, nisi quia ultra illius finem tendit. Ergo in eo supponit finem. Item, quæ multitudo ab aliâ superatur, potest ulterius crescere per additionem illarum unitatum quibus superatur: ergo habet ultimam unitatem: non enim in numero fit additio, nisi ad ultimam ejus unitatem. Quod autem habet ultimum, habet & finem, nec proinde potest esse infinitum. *Conf.* Quia unitates in illâ multitudine non sunt quid distinctum ab ipsis hominibus: ergo ubi sunt plures homines, ibi sunt & formaliter plures unitates, ac proinde numerus formaliter major: ergo sic daretur numerus formaliter infinitus major alio numero infinito. Nec proinde posset non esse finitus ille numerus qui foret minor: ergo esset finitus simul & infinitus.

CAP. II. *Alia Infiniti attributa essentialia.*

D*Ico* præterea I. Infinito simpliciter nihil addi potest in eo genere in quo est infinitum. *Prob.* Quia per additionem illam fieret majus: ergo antea non erat infinitum, cùm esset isto minus; quod est contra hypothesim. Quare

Dico II. Infinitum simpliciter in aliquo genere, puta infinitum Angelorum, continet quicquid in eo genere est possibile. *Prob.* Quia posset aliquid addi illi infinito: ergo non esset infinitum. Item

Dico III. Ad rationem infiniti absolutè

sumpti non sufficit præcisè ut superet omne possibile in aliquo genere. Sic enim homo idcirco non est infinitæ perfectionis, quòd superet in naturæ perfectione omnes animalium species possibiles infra se positas; siquidem nullum animal brutum potest attingere ad perfectionem rationalitatis. Ita etiam figura circularis aut sphærica, licet omnium figurarum sit perfectissima, non ideo perfecta est infinitè. *Prob.* Quia de facto ista sunt ex genere suo finita, & ab alio genere entium superantur in perfectione naturæ. Ergo ad rationem infiniti requiritur præterea ut superet quodcunque sine termino; id est, ut à nullo alio superari possit. Quinetiam opus est, ut rerum possibilium perfectiones quas superat, contineat in sese aliquo modo. Sic enim musca *v. g.* non ideo diceretur esse altitudinis, aut molis infinitæ, quamvis ipsa resideret supra molem infinitam, quia molis ipsius dimensiones in se non contineret. Ita nec Deus diceretur esse ens infinitè perfectum, nisi in eo forent, saltem eminenter, rerum omnium possibilium perfectiones.

Objic. Quod superat infinitum, si daretur, illud à fortiori est infinitum. Quo pacto aliquid superans calidum ut 100, si daretur, illud à fortiori esset calidum ut 100. *C.* Atqui homo in perfectione naturæ superat omnes aliorum animalium possibilium perfectiones, quæ de facto forent infinitæ, si actu existerent. Non enim essent tantùm finitæ actu. ℞. Forent simul, & non forent infinitæ. Vt posteà explicabitur.

Inst. 1. Quæ natura habet facultates infinitæ perfectionis, illa est infinitæ perfectionis. *C.* Atqui talis est natura humana. Nam habet intellectum infinitæ perfectionis. *Prob.* Quia quæ causa

causa potest effectus perfectiores, & perfectiores in infinitum sine termino, illa est infinitæ perfectionis; neque aliam ob causam potentia Divina est perfectionis infinitæ. Atqui intellectus humanus potest elicere perfectiores specie cognitiones in infinitum. ℞. Non potest solis viribus propriis elicere supernaturales: ergo sic haberet terminum suæ perfectionis.

Inst. 2. Saltem elevatus lumine gloriæ poterit perfectiores in infinitum, etiam supernaturales. ℞. Non poterit, nisi simul in infinitum augeatur gloriæ lumen, aut detur perfectior in infinitum concursus Divinus.

Inst. 3. Voluntas rationalis est infinitæ capacitatis, nec potest repleri nisi bono infinito. Ergo sic habet perfectionem infinitam. ℞. Secundùm entitatem, & secundùm intrinseca est finitæ perfectionis; etsi ratione boni extrinseci ad quod terminatur, possit dici infinita. Quanquam & huic bono infinito adhærere non potest, nisi finito modo.

Dico IV. Si daretur corpus infinitum, repleret spatium omne possibile; alioquin si posset comprehendi aliquo spatio, jam ex eo intelligeretur esse finitum. Item, non posset esse ullius figuræ: quia figura est terminus corporis extensi: atqui infinitum caret termino. Item, moveri localiter nequiret; aut motu recto, quia non haberet spatium majus se in quo moveretur: aut motu circulari. *Prob. Attendendo ad figuram* 13. *quæ supponitur pro corpore infinito.* In eâ enim figurâ consequenter linea *a. b.* & linea *a. c.* tendentes in infinitum, relinquerent spatium infinitum inter *b* & *c* quod pertransiri nisi tempore infinito non posset; ergo nec pariter punctum *e* in locum puncti *d*, quanvis bre-

vioris intervalli, nequiret unquam succedere; quia non moveretur nisi ad motum lineæ *a. b,* in quâ continuatur. Ergo ille motus perfici non posset unquam; quia non posset perfici nisi tempore infinito.

Dico V. Non possunt esse duo simpliciter infinita, saltem in eodem genere; puta in Angelis. *Prob.* Quia infinitum Angelorum continet omnes Angelos possibiles: ergo nulli sunt præterea possibiles Angeli ex quibus constituatur aliud infinitum. Deinde unum alteri adjunctum, ipsum redderet majus: quod repugnat.

Dico VI. Ens simpliciter infinitum debet esse indivisibile. Neque enim posset dividi in duo infinita, ut jam ajebam. Neque etiam divisibile esset in duo finita. Quia duo finita simul conjuncta non constituerent infinitum; siquidem utrumque pertransiri posset. Ergo finem haberet. Quare ex dictis.

Sequitur 1. Infinito simpliciter, non modò quidquam addi non posse, sed etiam nec detrahi. Si quid enim detraheretur, jam non contineret omne possibile in eo genere; ergo, ut ostendi, esset & non esset infinitum.

Sequitur 2. Infinitum simpliciter neque esse partem, nec totum ex partibus, aut divisibile in partes. Quo etiam loco observabis, hîc sumi totum & quantitatem, non tantùm pro quantitate *molis*, sed etiam pro quantitate *virtutis*; perinde enim ens perfectionis infinitæ, constare non potest ex variis perfectionibus formaliter inter se distinctis, aut ex genere & differentiâ; nec potest esse nisi unica & simplicissima perfectio, quanvis multis æquivalens, aut virtualiter multiplex: uti quidem ostenditur de Deo in Metaphysicâ.

Notan-

Notandumque est, hic sermonem esse tantùm de infinito simpliciter, seu categorematico; nam syncategorematicum est quid indeterminatum & simpliciter divisibile in multa, semperque habet potentiam ad alia, &c.

Sequitur 3. Rationem infiniti simpliciter non posse convenire nisi Deo, tanquam proprium ipsius attributum, nec proinde creaturis esse efficienter communicabile. Quod etiam argumentis à posteriori sequenti capite est demonstrandum. Vbi tamen prius observaveris *finitum & infinitum* posse tantùm esse proprias affectiones quantitatis, sive illius quæ dicitur *quantitas molis*, sive quæ est *quantitas virtutis, seu perfectionis*. Quamobrem *punctum* non dicitur esse *finitum, aut infinitum*, quoad extensionem, quia nullam habet.

CAP. III. *Impossibilitas entis creati simpliciter infiniti.*

QVæritur hoc loco, num possit existere ens aliquod productum à Deo, quod sit simpliciter infinitum, sive in essentiá seu naturâ, quæ dicatur infinitæ perfectionis; sive in numero & multitudine; sive in extensione & magnitudine, qualem haberet corpus infinitum; sive in intensione, ut si daretur calor infinitè perfectus.

Statuunt quidem aliqui, ex eo repugnare infinitum simpliciter, quòd sequeretur inde exhauriri omnipotentiam Divinam, quæ proinde non foret infinita; quia plura non posset. Sed hoc argumentum nihil probat. Nam scientia Divina est infinita, quanvis plura nequeat cognoscere, quàm quæ cognoscit actu. Item potentia generativa Patris æterni infinita est, licet dicatur

eatur exhausta in generatione Filii, nec possit Filium alium producere, qui eam ob causam dicitur essentialiter *unigenitus*. Vt igitur aliâ ratione philosopher,

Dico I. Impossibile est infinitum actu in numero, seu multitudine. *Prob.* 1. Quia sequeretur inde partem aliquam esse æqualem cum toto; nec totum esse majus aliquâ sui parte; quod manifestam habet repugnantiam cum ipso lumine naturali. Rem autem sic ostendo. Quia sub infinitâ multitudine *v.g.* Angelorum non continerentur tantùm finiti binarii, aut finiti centenarii; alioquin finitus ille centenariorum numerus pertransiri tandem posset; ac proinde non constitueret numerum, seu multitudinem infinitam. Supponendum ergo est, in illâ Angelorum infinitâ multitudine contineri infinitos centenarios, tum infinitos binarios. Quâ quidem in hypothesi, infinitum binariorum foret æquale cum infinito centenariorum; ergo pars aliqua esset æqualis cum suo toto; nec totum foret majus aliquâ sui parte, qualis est binarius numerus respectu centenarii. Hoc autem manifestam habet repugnantiam ad lumen naturale. Item, ex illa multitudine possent duo vel tres annihilari: ergo detracto numero finito, desineret esse infinita; quia possibiles Angelos omnes in se non contineret: additis verò illis duobus, vel tribus Angelis, redderetur infinita; quod etiam implicat, quia tres illi numerum terminarent. Item, in infinito numero hominum, qui singuli plures digitos & capillos haberent, Deus cognosceret majorem numerum digitorum, aut capillorum, quàm hominum. Ergo contra hypothesim, ille hominum numerus minor, non esset infinitus; essetque admit-

mittendus numerus major maximo, & consequenter major *infinito*. Quod repugnat, ex dictis. Item, creet Deus mundos infinitos cum singulis arenulis, illi consequenter replebunt omne spatium possibile: tum annihilet mundos ejusmodi, servatis tantùm singulis arenulis, quæ quidem cùm essent infinitæ, deberent pariter replere spatium omne possibile, quod implicat.

Dico II. Repugnat quoque creari molem infinitam, seu infinitæ magnitudinis. *Prob.* Quia *ex Assertione* 9. *cap.* 2. repugnat infinitum esse divisibile; cujusmodi foret corpus infinitum. Item, ut in eo capite explicui, nullo motu locali moveri posset. Item, si in eo designentur duæ lineæ sese intersecantes; ex illâ intersectione & concursu recedent infinitè ab invicem; & sic intra se continebunt spatium infinitum: ergo sic daretur infinitum clausum terminis. Item, non repugnaret creari hominem infinitæ magnitudinis; in quo consequenter forent oculi, digiti, aliæque partes infinitæ magnitudinis: alioqui si finitæ solùm forent, singulæ mensurari possent: ergo & totum ex ipsis conflatum; ergo, contra hypothesim, non esset infinitum: ergo illæ partes deberent esse infinitæ; cùm tamen oculi *v.g.* capite circùmscriberentur; atque ita de aliis partibus, ergo essent infinitæ clausæ terminis. Item, supponamus creari à Deo filum infinitum secundùm longitudinem, tum convolvatur in globum: sequetur inde globum fieri infinitum, & replere spatium omne possibile; cùm tamen anteà repleret tantummodo spatium secundùm longitudinem; unde & sequeretur partem esse æqualem suo toti.

Notandumque est, similiter repugnare Angelum infinitè extensum virtualiter, seu im-

mensum. Quia tam posset creari à Deo corpus infinitum; atqui ostendimus repugnare istud. Ergo & illud.

Dico III. Nec potest creari qualitas infinitè perfecta, seu intensionis infinitæ. *Prob.* Quia eodem modo ac suprà liceret argumentari contra numerum illorum graduum qui infinitam intensionem constituerent. Item, pari per proportionem modo foret divisibilis, parique modo posset imminui; ergo perinde non foret infinita.

Dico IV. Nulla creatura potest esse infinitè perfecta secundùm essentiam, seu naturam. *Prob.* Nam illa vel haberet perfectionem intra limites alicujus speciei comprehensam; vel certè contineret possibilem omnem entis creati perfectionem. Neutrum dici potest. Quod enim ad primum spectat; nullum est ens determinatæ alicujus speciei, quod non excludat à se perfectiones aliarum specierum quæ dividunt genus sub quo est. Item, cùm habeat compositionem ex genere & differentiâ, includit potentialitatem: ergo & imperfectionem seu perfectibilitatem. Item, superari posset in perfectione ab aliâ specie præstantiori. Quibus ex singulis capitibus repugnat esse infinitæ perfectionis. Quod ad secundum attinet; repugnat etiam, non tantùm quòd haberet compositionem ex genere & differentiâ, quia est illud commune omni substantiæ creatæ; sed præterea sequeretur creaturam illam habere ex naturâ suâ gratiam sanctificantem, lumen gloriæ ad videndum Deum, adeóque esse naturaliter impeccabilem. Item, haberet vim agendi infinitam, posset q; producere quidlibet; hoc autem repugnat. Item, haberet saltem hanc sibi essentialem imperfectio-

fectionem, quòd esset ab alio dependens; nempe à Deo, sicque esset defectibilis, mutabilis, annihilabilis, &c. Item, superari posset ab aliâ possibili creatura perfectiori. Ergo ex eo etiam capite non foret infinita.

Dico V. Nulla est assignabilis creatura tam perfectæ naturæ, quâ perfectior creari à Deo non possit. *Prob.* Quia non posset adæquare latitudinem omnipotentiæ Divinæ. Item illa semper esset infinitè distans in perfectione à Deo: ergo aliæ forent possibiles, à quibus magis & magis participaretur Deus. Nam in Deo sunt, ut ita loquar, infiniti modi & perfectiones secundùm quas est participabilis, nec exhauriri potest; siquidem ex infinito accipientibus semper est aliquid accipere. Aut certè, diceretur alioqui creatura adæquare perfectionem Divinam; sicque esset tam potens, tam sancta ac Deus, &c. Quæ admitti non debent.

Atque ex dictis quidem sequitur 1. Non posse dari creaturam omnium absolutè perfectissimam; etsi detur omnium imperfectissima in genere substantiæ, qualis esse potest materia prima. Item, nec possibilem esse numerum omnium maximum, etsi binarius dicitur de facto omnium minimus. Item, nec possibilem esse quantitatem molis omnium maximam; quomodo nec potest etiam dari omnium minima, quia est divisibilis in infinitum.

Sequitur 2. Collectionem creaturarum omnium possibilium, seu creaturas omnes collectivè sumptas esse impossibiles, nec esse nisi ens chymæricum, quanvis singulæ distributivè, seu determinatè & seorsim sumptæ, nullâ exceptâ, produci actu possint. Quare, quæ sunt distributivè possibilia, non ideo sunt collectivè possibilia;

nec valet consequentia à distributivo ad collectivum, quando prædicata important aliquod genus quantitatis: ut si dixeris *quilibet homo est hic unus*; *ergo omnes simul sumpti sunt hic unus homo.* Item, *nulla est pagina istorum voluminum, quam dimidio quadrante non possim perlegere; ergo possum omnes collectivè dimidio quadrante perlegere.* Valet autem illa consequentia, quando prædicata singulis secundùm se conveniunt. Vt, *quilibet homo est animal. Ergo omnis.*

Sequitur 3. Totam multitudinem rerum possibilium quam cognoscit Deus, non debere dici infinitam simpliciter, sed tantùm syncategorematicè; seu finitam in infinitum. *Prob.* Quia cognitio Dei, cùm sit perfecta, res alio modo non attingit, quàm in se sint, aut esse possint. Ergo quandoquidem impossibilis est rerum omnium possibilium collectio, unde nimirum sint tot determinatè & non plures, talem collectionem per se non cognoscit; sed tantùm plura, & plura indeterminatè, & in infinitum, seu non tot quin plura sine termino. Quo pacto videns omnes annos, diesque & horas possibiles per totam æternitatem; item & omnes futuras per totam æternitatem cogitationes Angelorum, non videt tot tantùm & non plures, seu numerum earum determinatum; alioquin videret finem æternitatis; quod implicat; eamque ob causam dicitur tantùm videre non tot quin plures. Ita per proportionem res se habet de creaturis possibilibus; etsi enim omnes, nullâ exceptâ videat simul, *simultate cognitionis & simultate objecti, seu simultate esse objectivi*; non tamen eas videt simul *simultate esse realis, aut possibilis existentiæ*; nec eas sic videndo simul colligit, sed tantùm videt eas esse non tot quin plu-

res

res possibiles, ut dixi de partibus æternitatis; quod vulgò quoque ajunt de partibus continui possibilibus. Neque verò etiam necesse est, ut quæ sunt simul simultate objecti & cognitionis, possint esse simul secundùm rem. Sic enim Divinæ cognitioni simul objiciuntur partes motus successivi, & anni totius, quæ tamen non possunt esse nisi aliæ post alias.

Sequitur 4. Omnipotentiæ Divinæ objectum esse duntaxat infinitum syncategorematicè; quatenus creaturas sese superantes essentialiter, seu species creaturarum, pro libito suo potest producere non tot quin plures in infinitum. In quo differt à causis creatis, quæ possunt quidem plures in infinitum effectus attingere, sed non sese essentialiter superantes versùs maximum, ut loquuntur. Item, illa omnipotentia circa objectum suum, seu circa omnes creaturas possibiles versari adæquatè non potest, sed tantùm inadæquatè. Item, non habet Deus omnipotentiæ suæ objectum, nisi de se indeterminatum. Quamobrem nullum effectum potest attingere, nisi ad illum ex liberâ electione sese determinando. Quo pacto etiam non potest applicare illam omnipotentiam ad divisionem partium omnium continui, sed tantùm ex electione ad aliquas sese determinando. Item, cùm ajunt objectum Divinæ potentiæ ad extra, esse omne possibile; tunc illud *omne* sumitur tantùm *distributivè*, non autem *collectivè*. Negandumque est semper omne distributivè possibile, esse possibile collectivè.

Notandumque est, maximi momenti esse hanc doctrinam pro rebus Theologicis. Neque enim suppositâ possibilitate creati infiniti, valerent argumenta D. Thomæ ad demonstrandam Dei

exi-

existentiam, contra processum in infinitum; aut ad demonstrandam Dei simplicitatem, aliasque ejus perfectiones; ut patet ex iis quæ diximus in Metaphysicâ De Deo.

CAP. IV. *Solvuntur Objectiones.*

OBjic. 1. Extensio infinita non superat vim cogitationis humanæ. Ergo datur. Ita nuperus quidam scriptor. ℞. Non superare quidem vim cogitationis humanæ, sive veræ, sive falsæ: possetque eodem modo probari existentia chymæræ.

Inst. 1. Ex Arist. finitum & infinitum esse proprietates quantitatis. Ergo hæc cogitatio infiniti non est chymærica. ℞. Illud infinitum sumi tantùm debet pro syncategorematico; sic enim de facto quantitas continet potentiâ partes finitas in infinitum. Cùm è contrà ipse Arist. expresse neget infinitum categ. creatum, eoque nomine scribat esse *ignotum*.

Inst. 2. Ex ejus doctrinâ de Mundo, & de rerum generationibus ab æterno; tum suppositâ etiam ejus doctrinâ de immortalitate nostræ animæ, sequitur jam existere animas rationales actu infinitas. ℞. Sequeretur illud quidem; sed mirum non est, quòd errorem suum de æternitate mundi non conciliarit cum suâ doctrinâ de infinito; nam verum cum falso cohærere nequit. Quanquam alii scribunt Aristotelem admisisse metempsychosim, seu transmigrationem animarum ad alia ejusdem speciei corpora; neque hac in parte impugnasse Pythagoram, nisi quatenus docuit transire in alia etiam diversæ speciei corpora.

Objic. 2. Illa propositio *creatura est infinita*, non involvit ullam contradictionem; non enim

in

in eâ est simul affirmatio & negatio de eodem. *Dist.* Non involvit *formaliter.* *C. Consequenter.* *N.* Ex eâ enim sequuntur omnes contradictiones suprà allatæ.

Inst. 1. Infinitum non pugnat cum creaturâ, sive ex parte entis ut sic, cùm reperiatur in ente Divino. *C.* Neque ex parte producti ab alio; siquidem hoc competit personæ Divinæ ab alia productæ. *C.* Neque ex ratione infiniti, quia reperitur in Divinis. ℞. Repugnare ex parte infiniti conjuncti cum ente creato, seu producto ex nihilo sui.

Inst. 2. Conceptus entis creati ut sic, abstrahit à finitudine aut infinitudine; aliudque nihil dicit secundùm essentiam, quàm esse ab alio ex nihilo sui. Ergo finitudo non est ipsi essentialis, nec de se cum eo pugnat infinitudo. ℞. Pugnat *consequenter.* Nam & enti creato adjuncta est essentialiter finitudo; non quidem ut principium essentiæ constitutivum, sed ut ratio essendi propria.

Inst. 3. Etsi poneretur creatura infinitæ perfectionis, puta calor infinitè perfectus; non ideo desineret esse creatura; non enim ideo intelligeretur esse Deus, aut æqualis Deo. Siquidem intelligeretur semper esse ens dependens à Deo; esse accidens, &c. *Dist.* Intelligeretur esse talis, & non talis, saltem *consequenter.* Ex eo enim quòd haberet rationem essendi propriam Dei, intelligeretur esse Deus; quamvis aliunde negaretur esse Deus. Vno verbo, ex hypothesi res esset actu infinita; absolutè verò simul non esset infinita. Quod implicat.

Objic. 3. Deus est infinitè bonus: ergo infinitè sui communicativus, non tantùm ad intra, sed etiam ad extra; quomodo etiam infinito modo

modo sese communicavit naturæ humanæ in Christo. *Dist.* Esto, sit infinitè sui communicativus *formaliter* per unionem hypostaticam. At nego sic esse sui-communicativum *efficienter*, producendo effectum infinitum.

Inst. 1. Habet infinitam actu potentiam. *C.* Ergo quæ possit infinitum actu. *N. Conf.*

Inst. 2. Vt se habet potentia finita ad finitum effectum, ita infinita ad infinitum. *N. paritatem*; quia infinitus effectus de se repugnat; neque ulla est potentia ad impossibile.

Inst. 3. Modus essendi in Deo est infinitus. Ergo & modus operandi; quia debet sequi modum essendi. *Dist.* Modus ille operandi est infinitus eo sensu, quòd sit ad plura in infinitum se superantia in perfectione essentiali; non autem quòd possit esse ad infinitum actu.

Inst. 4. Sic omnipotentia Divina tantùm attingeret effectum actu finitum. *C.* Ergo nunquam habere posset sibi proportionatum; nam ut effectus causæ finitæ proportionatus, est finitus: ita potentiæ infinitæ respondere debet infinitus. *Dist.* Infinitus actu. *N.* Infinitus potentiâ. *C.* Nempe effectus nunquam terminans vim agendi Divinam, ita ut semper ultra possit.

Inst. 5. Quâ proportione crescit potentia; ita & effectus ipsi respondens. *C.* Ergo si potentia crevit infinitè, effectus illi respondens debet esse infinitus. ℞. Si potentia creata sic crevit infinitè, debet illi respondere effectus infinitus. *C.* Quia ex hypothesi illâ impossibili, potest admitti ejusmodi effectus ad illam consequens.

Inst. 6. Potest Deus id omne quod posset fieri à creaturâ infinitâ, aut à creaturis infinitis, si darentur. Atqui creaturæ illæ possent infinitum. *Dist. Ant.* Possent ex illâ hypothesi. *Conc.* At

illa

illa hypothesis falsa est. Nec verum est absolutè posse illud fieri à Deo, quod fieret à Chymærâ, si existeret : idem enim est ac si diceretur posse à Deo fieri impossibile, ex hypothesi quod possit fieri.

Inst. 7. Cùm Deus sit infinitè virtualiter extensus, possitque operari ad extra ubicunque est; sequitur posse ab eo produci magnitudinem ipsi adæquatè coextensam : ergo infinitam. *Dist.* potest operari ad extra ubicunque est distributivè. *C.* Collectivè. *N.*

Inst. 8. Deus potest facere actu, quicquid potest facere actu : seu potest producere actu hoc instanti omnes creaturas possibiles, quas potest producere actu hoc instanti. Quæ propositio, cùm sit identica, vera est. Atqui creaturæ possibiles quas potest producere actu hoc instanti, non sunt tantùm finitæ, alioquin potentia Divina non diceretur infinita. Ergo sunt infinitæ actu. ℞. 1. Majorem non esse veram, aut identicam: quia subjectum sumitur in sensu distributivo, prædicatum autem in collectivo: ergo non habent eandem suppositionem. ℞. 2. Non potest Deus facere quidquam hoc instanti, nisi finitum. Non enim potest nisi id ad quod sese per electionem determinaverit. Vt suprà monui.

Inst. 9. Potest producere hoc instanti creaturas omnes eas, quas diversis temporibus per totam æternitatem potest producere. Atqui illæ non sunt finitæ actu. *Dist. Ma.* potest eas producere, quæ diversis temporibus distributivè & determinatè sumptis sunt producibiles. *C.* Vel si lubet; potest eas producere quæ sunt producibiles diversis per totam æternitatem temporibus *distributivè & determinatè* sumptis. *C. Collectivè* sumptis. *N.*

Inst.

Inst. 10. Nulla eſt ex creaturis poſſibilibus quam hoc inſtanti non poſſit producere; alioqui non eſſet poſſibilis ea quæ à Deo produci non poſſet. *Diſt.* Nulla eſt quæ ſeorſum & diſtributivè hoc inſtanti produci non poſſit. *C.* Quæ collectivè. *N.*

Inſt. 11. Entium permanentium exiſtentia non impedit aliorum exiſtentiam. Nam *v. g.* exiſtentia Angeli cujuſcunque, non habet ullum oppoſitionis genus cum exiſtentiâ aliorum quorumcunque poſſibilium Angelorum. Ergo ſimul poſſunt exiſtere. *Diſt. Ma.* Exiſtentia Angeli cujuſcunque diſtributivè ſumpti non impedit exiſtentiam aliorum, ſi diſtributivè ſeu ſeorſim ſumuntur. *Conc.* Si collectivè ſumuntur. *N.* Deinde cùm ajunt nullum hîc intervenire oppoſitionis genus. ℞. *Diſt.* Nullum intervenit *formaliter & directè. Tranſ.* Nullum intervenit *conſequenter. N.* Habent enim conſequenter contradictoriam oppoſitionem.

Inſt. 12. Poteſt Deus ea omnia jam producere, quæ poteſt velle producere. Nam, ut loquitur ſcriptura ſacra, *omnia quæcunque voluit fecit. Conc.* Atqui poteſt velle adæquatè & collectivè omnes creaturas poſſibiles producere. *N. min.* Quia non poteſt velle niſi ſapienter, ac proinde non poteſt velle niſi quod videt poſſibile, & ad quod ſeſe determinare poteſt.

Inſt. 13. Poteſt velle facere maximam creaturarum collectionem; aut creaturarum omnium perfectiſſimam quam poteſt. Atqui illa erit infinita: ergo poteſt facere infinitam. ℞. Iam negavi poſſe fieri maximam, & conſequenter etiam ab eo talem cognoſci; cùm ultimum potentiæ ſuæ non cognoſcat. Quo pacto per proportionem ajebam non cognoſci ulti-

mam

mam ex cogitationibus Angelorum futuris per totam æternitatem.

Inst. 14. Si Deus esset agens necessarium, faceret totum illud adæquatè quod potest, & maximum. Quòd autem sit agens liberum, nihil detrahit de ejus potentiâ. Ergo perinde maximum potest. ℞. Si esset agens necessarium, nihil posset: quia non haberet unde ad unum ex oppositis potiùs determinaretur. Et cætera de quibus in Metaphysicâ *De Deo. cap.* 9.

Inst. 15. Saltem potest collectionem creaturarum producere majorem datâ qualibet, & dabili. Ergo infinitam. *Dist. Ant.* Potest majorem datâ & dabili determinatè & distributivè. *C.* Dabili indeterminatè, seu etiam collectivè. *N.* Item sic responderi potest. Potest Deus quodlibet terminans ejus potentiam. *N.* Non determinans, & cùm processu in infinitum. *C.*

Objic. 4. Potest Deus facere collectivè, quicquid potest facere collectivè. At quicquid potest facere collectivè est simpliciter infinitum; alioqui potentia ipsius non esset infinita: ergo potest facere simpliciter infinitum. *Prob. ma.* Quia est propositio identica, ac proinde vera, cujus nimirum idem est prædicatum cum subjecto. Sed *Tr. Ma. Neg. min.* Nam illud *quicquid potest facere collectivè*, aliud nihil significat, quàm *quas rerum collectiones potest facere distributivè.*

Inst. Creaturæ omnes collectivè possibiles sunt collectivè possibiles. Ergo infinitum simpliciter est possibile. *Prob. Ant.* Quia est propositio identica. *Prob. Cons.* Quia infinitum simpliciter aliud nihil est quàm creaturæ omnes collectivè sumptæ. *C.* Atqui creaturæ omnes collectivè sumptæ sunt possibiles, ex præsup-

supposito antecedente : ergo infinitum simpliciter est possibile, seu produci à Deo potest. ℟. Non esse præsupponendum, aut concedendum antecedens; nec esse propositionem identicam, quia subjectum & prædicatum non servant eandem suppositionem. Nam subjectum sumitur tantùm in sensu distributivo, prædicatum autem in collectivo. At omnes creaturarum collectiones distributivè possibiles, non sunt possibiles collectivè. Et verò si antecedens esset propositio identica, idem significaret ac *omnis chymara possibilis est chymara possibilis*. Nec inde quidquam inferri posset.

CAP. V. *Solvuntur aliæ Objectiones.*

OBjic. I. Deus potest producere quicquid cognoscit à se producibile. C. Sed cognoscit creaturas simpliciter infinitas à se producibiles; non enim illæ sunt tantùm finitæ; alioquin non diceretur Deus esse potentiæ infinitæ. ℟. Creaturas illas possibiles nec finitas esse, neque infinitas simpliciter, sed *finitas in infinitum*, seu *non tot quin plures sine termino* : diciturque illa scientia esse infinita, non tantùm respectivè ad ipsam Dei essentiam infinitam; sed etiam & respectivè ad istiusmodi creaturas possibiles.

Inst. 1. Creaturæ illæ possibiles constituunt numerum aliquem; non finitum : ergo infinitum. *Dist.* Infinitum syncategorematicè. *C.* Categorematicè. *N.*

Inst. 2. Constituunt collectionem determinatam. Ergo numerum infinitum categ. siquidem infinitum categ. aliud nihil est, quàm ejusmodi collectio. *Prob. Ant.* Quia creaturæ illæ possibiles omnes quas cognoscit Deus, sunt tot & non plures. *Prob.* Quia præter creaturas possibiles

quas

quas cognoscit, non sunt aliæ possibiles; siquidem cognoscit omnes possibiles. ℞. Si cognosceret omnes *collectivè*, præter omnes illas non forent aliæ possibiles. Sed hoc loco *Tò omnes* sumi debet semper *distributivè*, & *indeterminatè*. Atque hoc modo præter omnes *distributivè* sumptas, semper sunt aliæ plures & plures quas cognoscit.

Inst. 3. *Tò præter* est terminus colligens, seu denotans collectionem determinatam. Ergo si præter omnes possibiles quas cognoscit, non sunt aliæ possibiles; *omnes* illæ debent sumi tanquam aliqua possibilium collectio. *Dist.* Debent sumi tanquam aliqua collectio sine potentiâ ad alias similes collectiones. *N.* Cum potentiâ ad alias. *Tr.* Sic enim Deus in *omnibus* illis creaturis possibilibus distributivè atque indeterminatè sumptis, cognoscit plures & plures determinatè collectiones, præter quas aliæ plures & plures ab ipso cognoscuntur; sicque illud *præter* non colligit *omnes* creaturas, quæ non dicant *potentiam* ad alias, & alias in infinitum simul etiam à Deo cognitas. Nec sunt *tot* numero determinato; sed potius *tot* & *tot* in infinitum, & numero indeterminato.

Inst. 4. Creaturæ possibiles simul omnes, nullâ exceptâ, sunt sub cognitione Divinâ. Ergo illas cognoscit omnes collectivè. *Prob. Ant.* Quia simul eodem actu cognitionis cognoscuntur à Deo, non autem aliæ post alias in infinitum; neque ulla est quæ sit in potentiâ respectivè ad cognitionem Divinam, quin potiùs actu quælibet simul cognoscitur cum aliis omnibus: Item, neque ulla est quæ sit in potentiâ ad esse possibilem, cùm potiùs omnes simul sint in statu possibilitatis. Ergo omnes sunt collectivè sub actuali cognitione Divinâ, & tanquam infini-

tum

tum categorematicum: nam ad rationem syncategorematici deberent habere potentiam ad alias & alias in infinitum. ℞. Nego possibiles creaturas omnes esse collectivè sub Divinâ cognitione. Item, ad probationem antecedentis. ℞. Inde sequi duntaxat quòd simul sint & actu, simultate & actualitate tum cognitionis, tum objecti; non autem simultate rei, vel existentiæ possibilis; quasi possint simul actu existere à parte rei. Iamque insinuavi satis, quemadmodum aliqua simul esse possint simultate & actualitate tum cognitionis, tum objecti in Divino intellectu; putà diversæ anni partes, aut si lubet, futuri per totam æternitatem dies; cùm tamen hæc simul à parte rei nequeant existere.

Inst. 5. Si creaturæ illæ possibiles omnes quæ cognoscuntur à Deo, existerent de facto, essent actu infinitæ. Ergo sub cognitione Divinâ, & in statu possibilitatis sunt simpliciter infinitæ. Sic enim idem est terminus Divinæ cognitionis, qui foret productionis per quam à parte rei existerent. ℞. Si de facto à parte rei existerent, ex illâ hypothesi essent actu infinitæ; simulque absolutè non essent. Cùm ex naturâ infiniti repugnet existere actu infinitas. Nec proinde possunt quoque esse infinitæ simpliciter in Divino intellectu; quia Deus non potest res alio modo cognoscere, quàm in se sint, aut esse possint. Neque verò etiam consequenter idem & eodem modo foret terminus Divinæ cognitionis, ac productionis per quam in rerum naturâ existerent.

Inst. 6. Si omnes creaturæ possibiles viderentur per distinctas cognitiones, illæ cognitiones forent infinitæ simpliciter, & categorematicè. Ergo & cognitionum objecta illa diversa sunt in-

infinita simpliciter; tot enim esse debent, quot ipsæ cognitiones. *Dist. Ant.* In illâ hypothesi quæ est impossibilis. *C.* At Deus pro perfectione infinitâ sibi essentiali, per unicum duntaxat cognitionis actum attingit quicquid est cognoscibile. Nec ab ullâ creaturâ possent singulæ possibiles creaturæ omnes cognosci per distinctos actus, ob eam ipsam quam in se involvit repugnantiam infinitum actu creatum.

Inst. 7. Perinde sunt infinitæ simpliciter creaturæ possibiles, ac earum negationes per quas denominantur *non existere:* atqui negationes illæ sunt infinitæ simpliciter; ergo & creaturæ possibiles. *Prob. min.* Nam actu, suo videlicet modo negativo, jam existunt negationes rerum illarum omnium quæ sunt adhuc in statu possibilitatis, nec sunt numero finitæ: ergo sunt infinitæ actu. Tam enim sunt actu, quàm est actu in hac scholâ negatio leonis, aut equi, quem supponimus hinc abesse. Quo pacto etiam dicitur esse actu cœcitas in oculo, privatio formæ in materiâ, aut privatio gratiæ & gloriæ in damnatis, &c. Item, negationes illæ omnes sunt liberæ; hoc nimirum sensu, quòd pro libero Dei arbitrio tolli possunt; quod est creaturas possibiles ipsis oppositas posse produci, & in rerum naturâ existere pro libero Dei arbitrio. Vnde sic argumentor. Negationes illæ actu existentes sunt simpliciter infinitæ & liberæ: ergo possunt produci à Deo creaturæ simpliciter infinitæ. Atque istud quidem nonnulli ex adversariis putant esse invictum, ac decretorium in hoc negotio argumentum. Sed ℞. Etsi admittantur negationes ejusmodi, non ideo esse liberas, nisi distributivè, non autem collectivè.

Notandumque est, unum quidem & multa non

reperiri nisi in rebus positivis; neque hæc attribui negationibus, nisi impropriè. Immò, in isto casu dicendum esset potiùs, esse duntaxat veluti *unum* rerum *nihil*, seu *negationem unam*, non quidem modo indivisibili, sed quasi divisibili & virtualiter multiplici *existentem*, cum multiplici rationis respectu ad creaturas possibiles quibus opponitur. Quare, cùm ejusmodi *respectus rationis* non possint existere nemine cogitante; nec de facto existant nisi intellectu comparante creaturam possibilem cum sui negatione; hinc sequitur negationes illas, virtualiter saltem multiplices, non posse cognosci à Deo, aut distingui, nisi pro more ipsarum possibilium creaturarum; nec proinde posse numerari aut cognosci nisi finitas in infinitum.

Objic. 2. Quæ ratio probat repugnare infinitum, ea est maximè, quòd sequeretur dari infinitum unum alio minus; ac proinde quòd simul esset & non esset infinitum. Atqui hæc non destruit infinitum quà formaliter infinitum; quia excessus ille unius infiniti supra aliud infinitum non fieret nisi secundùm materiale infiniti, non autem secundùm ipsum infinitum quà infinitum est. Quomodo à pari res se habet in numeris *v. g.* hominum finitis, qui crescere in infinitum possent secundùm materiale, nempe ex additione novorum semper hominum; nec tamen illi desinerent esse finiti. ℞. Iam primo cap. suprà explicatam esse illam disparitatem; tum quomodo infinitum categ. etiam secundùm materiale superari ab alio non possit, quin omnis ratio infiniti destruatur.

Inst. 1. Omnipotentia in Deo exceditur à scientiâ, quia scientia Divina extendit sese ad plura, quàm omnipotentia; siquidem scientia

illa

illa est *v.g.* de Deo, qui non potest esse objectum omnipotentiæ; hæc enim attingit solùm res factibiles: nec tamen excessus ille impedit quominus omnipotentia Divina sit infinita. ℞. Omnipotentia non exceditur à scientiâ quoad rationem proprii objecti; quod solùm ad rem attinet, nec alia sunt nisi per accidens ad istud negotium. Et verò, ut scientia Divina est ad omne scibile, ita & omnipotentia ad omne non involvens contradictionem.

Inst. 2. Excessus unius supra aliud reperitur in iis quæ sunt infinita syncategorematicè, nec tamen idcirco in ipsis destruitur ratio infiniti. Ita numerus hominum possibilium minor est numero animalium possibilium; vel si lubet, numerus hominum possibilium minor est numero vel oculorum, vel digitorum, vel capillorum; cùm singulis plures digiti, & longè plures capilli respondeant. Ita etiam numerus partium in quas divisibilis est minor circulus, superatur à numero partium possibilium quæ continentur in majori circulo. Sicque unum infinitum syncat. superatur ab alio, neque idcirco negatur esse infinitum. Quod à pari per proportionem æstimandum est de infinito categ. ℞. *Neg. parit.* Quia majus, aut minus conveniunt tantùm numero, vel magnitudini determinatæ. Vt enim *v. g.* numerus hominum possibilium judicetur minor numero animalium, oportet in eo contineri tot tantùm, & non plures homines, cùm tamen plura sint animalia: ergo sic numerus hominum omnium possibilium judicaretur esse aliqua collectio determinata, & aliquod vel infinitum, vel finitum actu. Ergo, contra hypothesim, non esset infinitum syncateg. Deinde non potest dici numerus animalium esse major nu-

numero hominum omnium possibilium; quia non possunt tot numero assignari animalia possibilia, quin similis quoque numerus hominum assignetur, quandoquidem numerus hominum possibilium exhauriri non potest. Ita etiam non possunt tot assignari partes possibiles ex majori circulo, quin similis numerus assignetur ex minori; nec alter eorum dicitur major circulus, nisi quia plures continet partes determinatas, seu æquales uni certæ, puta plures pedes, aut palmos. Neque verò etiam in iis propriè reperitur æqualitas, cùm propriè adæquari non possint. Quippe tantùm iis rebus illud convenit, quæ determinatæ sunt, habentque extrema juxta quæ adæquentur.

Inst. 3. Creaturæ infinitè à Deo distant in perfectione naturæ, quo tamen in genere distantiæ infinitæ, imperfectiores magis distant quàm perfectiores. Ergo in illo genere infiniti est magis & minus: ergo magis & minus non destruit rationem infiniti. ℞. Distantia illa infinita petitur ex parte Dei, qui seipso infinitè distat ab ordine entis creati cujuscunque: sicque ex parte Dei nec magis, nec minus distant ab ipsius perfectione infinitâ, quanvis sub ordine entis creati aliæ sint perfectioris naturæ, aliæ autem imperfectioris, unde magis aut minùs quasi distent à superioribus generibus perfectionum ordinis creati. Quo sensu etiam dicitur Adamus minùs distare ab æternitate Dei, quàm Antichristus, distinguendo inter durationem creatam, quæ essentialiter habet initium sui, tum inter increatam, quæ de se totâ æternitate præcedit creatam; quemadmodum posteà declarabimus.

CAP.

CAP. VI. *Objectiones petitæ ex Theologiâ.*

VT constet quàm omni ex parte vera sit hæc doctrina de infinito, satisfaciendum quoque est nonnullis difficultatibus, quas adversarii solent petere ex Theologiâ de Perfectionibus Divinis; de Gratiâ Christi Domini; de infinitate malitiæ quæ supponitur reperiri in peccato mortali, ac de aliis id genus. Ita tamen, ut quæ propria sunt Theologorum, non discutiantur à Philosophis. Sic igitur

Objic. 1. Tres personæ ac relationes Divinæ sunt distinctæ realiter perfectiones, & quidem infinitæ; quia nulla est finita perfectio in Deo. Ergo minùs rectè ajebamus infinitum, ne formaliter quidem posse esse multiplex, &c. Et verò, plus perfectionis esset in unaquaque personâ, quàm in essentiâ; siquidem persona, ultra infinitam perfectionem essentiæ, includeret etiam infinitam perfectionem relationis sibi propriæ, & sui constitutivæ. Item, plus quoque perfectionis esset in omnibus simul sumptis, quàm in unaquaque earum seorsim spectatâ. Ergo in illo infinito esset *plus & minus*. ℞. 1. Propterea negari à multis relationes in Deo præcisè & formaliter, seu ratione sui esse perfectiones, sed tantùm entitativè seu ratione essentiæ, cum quâ formaliter identificantur. Nec esse nisi veluti modos, quibus natura Divina quasi contrahatur ad personas. Quo pacto paternitas contrahit naturam atque intellectum Divinum ad primam personam, estque instar conditionis, ut in personâ illâ Patris sit principium Filii productivum, &c. Ita Scotus cum Boëtio & aliis antiquioribus: ita Becanus de S. Trin. c. 2. q. 6. cum D. Thomâ, ut scribit. Ita Molina, Bellarminus, &c.

Confirm. Quia alioquin verum illud non foret quod docet D. August. lib. 6. de Tr. c. 8. Vbi sic loquitur: *Tantus est vel solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus S. quantus est simul Pater, Filius & Spiritus S. Nec minor est Pater solus, aut Filius, quàm simul Pater & Filius.* Vt legitur c. 8. Conf. ratione. Quia si relationes illæ essent perfectiones, ac proinde infinitæ, cùm nulla sit perfectio in Deo nisi infinita; sequeretur eas includere in sese formaliter essentiam ipsam, & attributa communia, tum vicissim in iis includi essentiam. Quomodo habetur in Metaph. de Deo c. 3. attributa communia, ipsamque essentiam Divinam esse sibi mutuò de conceptu essentiali, hanc tantùm ob causam, quia sunt perfectionis infinitæ. Quod quidem etsi admittant alii percelebres Theologi, illi consequenter inferre deberent unicam in Deo formaliter esse infinitatem essentiæ; quæ essentia, in illâ sententiâ, sese habeat ad ea omnia quæ sunt formaliter in Deo, sicut se habet ens communissimè sumptum ad omnem gradum entis.

Item Ꝝ. 2. Tres personas, quanvis realiter inter se distinctas cum relativis proprietatibus sui constitutivis, non inferre tamen nisi unicam duntaxat perfectionem Divinitatis quam continent, & in quâ sunt idem. Neque verò etiam ulla est in aliquâ personâ propria perfectio, quæ non contineatur in aliâ saltem identicè, ratione ejusdem essentiæ quam singulæ personæ in se continent. Quo pacto persona una tota cum suâ personali proprietate dicitur quoque *immanere* intimè in aliis, quam vulgò appellant personarum *circuminsessionem*, Græcè περιχώρησιν. Item, cum singulæ proprietates & perfectiones personarum contineantur eminenter in essentiâ; eam

eam autem essentiam in se contineant personæ singulæ; necesse est consequenter ut una persona aliarum perfectiones in se contineat eminentiali modo; qui modus tam perfectus est, quàm si formaliter eas contineret: ergo eandem habent perfectionis infinitatem tum essentia, tum personæ.

Objic. 2. Sunt actu in Deo perfectiones eminentiales creaturarum ab ipsis creaturis participabiles non finitæ. Ergo infinitæ. Et quidem cùm illæ sint actu in Deo, sunt infinitæ actu. Ergo sunt possibiles creaturæ infinitæ actu. Quia tot sunt possibiles, quot sunt perfectiones actu in Deo participabiles. ℞. Perfectiones illas creaturarum in Deo non esse actu formali, nec proinde faciunt numerum actu; sed tantùm sunt actu virtuali. Nam in Deo, aut potiùs ipse Deus est unica & simplicissima perfectio actu, virtute tamen multiplex, ut jam monui, ex metaphysicâ de Deo. Pari per proportionem modo solvitur id quod objiciunt de multitudine partium, quas supponunt in continuo. Non enim in eo sunt partes actu, nisi virtuali, &c.

Objic. 3. Multa sunt in sacro-sanctâ Christi Domini humanitate, quæ sunt infinitæ simpliciter perfectionis. Ergo præter ens increatum, dantur & alia infinita. *Prob. Ant.* Primò enim sacro-sancta illa humanitas habet cum Verbo Divino unionem hypostaticam perfectionis infinitæ, cùm nulla perfectior esse queat. 2. Subsistit per subsistentiam infinitam, quæ Divina est. 3. Sancta est sanctitate infinitâ, habetque in animâ gratiam sanctificantem creatam infinitam, quippe quæ est terminus amoris infiniti quo Deus Christum ipsum diligit. 4. Actiones ejus, quas appellant *Theandricas*, fuere dignitatis ac va-

valoris infiniti, Deoque placebant infinitè, ob dignitatem infinitam personæ operantis; ne quid dicam de meriti infinitudine, quam ideo negant alii, quia præmium actu infinitum illi promissum non fuit: quanquam ad illam infinitudinem actualem sufficere alii contendunt, quod promissio illimitata sit, seu finiti in infinitum. ℟. 1. Vnionem hypostaticam, etsi supponatur esse quid distinctum ab extremis unitis, non dici infinitam ratione propriæ entitatis, sed tantùm ratione termini; cujusmodi infinitudo attribuitur maternitati B. Virginis, quâ videlicet præstantior nulla esse possit. Quomodo nec esse potest in genere suo præstantior, quàm beatitudo sanctorum, ratione objecti, nempe Dei clarè visi, etsi beatifica illa visio perfectior in infinitum esse potest. Quod autem Christi Domini humanitas subsistat per subsistentiam infinitam, illa subsistentia increata est; neque hîc agitur nisi de ente creato; nec sancta est etiam infinitè, nisi per sanctitatem increatam ex unione substantiali cum ipso Verbo Divino: Nam sanctitas creata, seu gratia habitualis in ejus animâ existens; etsi mirabilem in modum sanctitatem omnem aliam creatam superat, non est tamen infinitè intensa; uti nec scientia visionis beatificæ quâ Deum videt; aut quæcunque infusa alia: neque verò alius est primò & per se terminus amoris quo summè diligitur à Deo, quàm unio hypostatica, & sanctitas infinita ex illâ unione ad verbum Divinum existens. Ac denique tandem, quod ajunt ejus actiones fuisse dignitatis infinitæ, tum meriti infiniti. ℟. Illas esse perfectiones in genere morali; cùm à nobis disputetur solùm de rebus secundùm earum physicam entitatem.

Ob-

Objic. 4. Peccati mortalis, quod in Deum admittitur, malitia est simpliciter infinita; cùm tamen in eâ reperiatur *magis & minùs*, neque ulla sit tanta, quæ ab aliâ superari non queat. Ergo *magis & minus* non pugnant cum naturâ infiniti. ℞. Vel eam ob causam non potest secundùm se & formaliter esse infinita, sed tantùm objectivè, seu ratione objecti quod est infinitæ dignitatis. Et verò etiam peccatum mort. *v. g.* furti, non continet possibilem cujuscunque alterius, specie saltem distincti, malitiam: ergo in ratione peccati ut sic non est simpliciter infinitum.

Inst. 1. Quâ proportione crescit personæ offensæ dignitas, eò gravior est malitia peccati quod in eam admittitur; ut patet inductione per universos hominum status. Atqui dignitas Dei offensi est simpliciter infinita: ergo & peccati malitia erit infinita. ℞. Idem probaretur de peccato veniali quo Deus etiam offenditur. *Distinguo igitur ma.* Eò gravior est malitia, magisque crescit secundùm gradus malitiæ. *N.* Secundùm genus & ordinem malitiæ. *C.* Inde enim sequitur tantùm malitiam peccati esse generis seu ordinis superioris, quæ non possit adæquari per malitiam ordinis inferioris, quantumcunque in infinitum multiplicetur.

Inst. 2. Malitia illa opposita est Dei bonitati infinitæ: ergo est infinita. *Dist. Ant.* Est opposita modo finito. *C.* Infinito. *Nego Ant.* Et verò malitia peccati venialis opposita est bonitati & sanctitati Divinæ, neque idcirco est infinita.

Inst. 3. Saltem habet malitiam proportionatam perfectioni formæ illius quam expellit à suo subjecto; neque enim aliunde petitur mensura mali, quàm à bono quod destruit. Atqui

 for-

forma quam de se expellit peccatum mor. non est finitæ, aut determinatæ solùm perfectionis; ergo est infinitæ. *Prob. min.* Quia opponitur gratiæ sanctificanti omni possibili, & finitæ in infinitum; imò & infinitæ actu; posset enim destruere ipsam animæ Christi sanctitatem infinitam. ℞. Si peccati malitia opponeretur illi sanctitati secundùm gradus intensionis, vim haberet argumentum; sed opponitur illi tantùm secundùm essentiam indivisibiliter, ita ut peccatum m. vel sub minimo intensionis gradu, ut ita loquar, meritoriè destruat quamcunque sanctitatem. Illáque est natura earum rerum quæ ad invicem opponuntur secundùm essentiam & indivisibiliter: quo pacto se habent scientia & dubium; amor & odium efficax respectu ejusdem; ita enim amor efficax ut unum, incompossibilis est cum odio efficaci quocunque; & sic de aliis.

Inst. 4. Eam solam ob causam, nullis puræ creaturæ bonis operibus satisfieri Deo condignè potest pro peccato mort. quia ejus malitia est infinita; ideoque ajunt fuisse necessariam personæ Divinæ incarnationem. Alioqui reperitur sufficiens proportio inter opus meritorium justi ortum ex gratiâ, & inter gratiam quam peccatori promereretur. ℞. Rationem illius necessitatis aliunde peti, nempe ex defectu proportionis inter injuriam Deo factam, tùm inter satisfactionem puræ creaturæ. Nam crescit quidem offensa pro dignitate personæ offensæ; sed decrescit satisfactio pro vilitate personæ satisfacientis. Quam ob causam Deus per contemptum legis suæ longè magis censetur inhonorari, quàm possit glorificari per quancunque satisfactionem oblatam à purâ creaturâ, puta ab homine qui simul non sit Deus.

DI-

DISPUTATIO III.
De Loco & Vacuo.

CAP. I. *Natura Loci.*

SI latè sumitur vocis istius significatio, *locus* dicitur esse illud, ubi res est. Quamobrem ab Aristotele, *locus* etiam propriè dictus appellatur *Vbi*; tum & *ubicatio* dicitur, quæ est rei constitutio in *loco*.

Notabis autem *locum* sumi vel propriè, vel impropriè; nam impropriè anima dicitur esse in corpore, aut intellectus in animâ, tanquam in loco, cùm in eo reperiatur tantùm ut in subjecto. Propriè igitur *locus*, est spatium quo res definitur: quamobrem Deus non est ullâ ratione in loco, siquidem ob suam immensitatem definiri ullo spatio non potest. At

Not. 2. Spatium omne vel esse formale & reale; vel duntaxat virtuale. Spatium formale & reale est corpus aliquod extensum in quo res aliæ contineri possint. Spatium virtuale est aliquid vel positivum, vel negativum formali spatio æquivalens, ob virtualem extensionem vel positivam, vel negativam. Atque ita primò quidem immensitas Divina, ex communi sententiâ, est spatium virtuale positivum increatum quo res universæ continentur; uti solent exponere in Metaphysicâ de Deo. Ita secundò, contra Thomistas, ratio spatii virtualis, sed negativi, attribui meritò potest *inani & vacuo.* Nam eo sensu æquivalet spatio reali & formali, quòd in eo, tanquam in spatio quodam, aut Angelus, aut corpus possit existere & moveri localiter. Item, potest fundare distantiam inter duo dissita; neque

que enim, si annihilaretur aër omnis inter cœlum & terram diffusus, ideo cœlum diceretur immediatè cum terrâ junctum : ergo vacuum in eo casu idem suo modo præstaret quod reale & formale spatium : ergo meritò spatium virtuale appellaretur. Quare

Not. 3. Perinde locum esse quidem alium realem ac formalem; alium autem solummodo virtualem quo res contineatur. Sed quia, ut monet Aristoteles, differre debet locus propriè dictus à vase, quo res etiam continetur; in eo utriusque disparitas solet constitui, quòd vas cum suo contento possit aliò transferri; locus autem ut sic de se est immutabilis. Et verò si locus esset mutabilis seu mobilis, frustra res naturales haberent facultatem sibi à naturâ insitam tendendi certum ad locum; siquidem locus tam posset moveri ad illas, nec potior foret ratio unius quàm alterius. Porrò

Not. 4. In eo positam esse loci *immobilitatem*, quòd servet semper eandem distantiam ab aliquibus punctis mundi fixis; puta à centro ipsius mundi, tum à punctis orientis & occidentis, simul & ab utroque polo. Ita etiam cœlum ipsum circulariter motum, licet semper in eodem loco adæquato maneat, si tamen secundùm partes distributivè sumptas consideretur, non servat easdem illas distantias; nam ea pars quæ modò propior fuerat orienti, modò ab eo recedit, magisque accedit ad occidentem, nec consequenter eundem retinet locum.

Notabis verò 5. Contra Thomistas; Perinde esse an puncta illa distantiæ sint realia, an solùm fictitia & imaginaria. Nam saltem sunt virtualiter realia, quatenus idem per ea præstari potest, quod per realia formaliter. Atque hujusmodi qui-

quidem assignari possunt in iis spatiis, quæ per imaginationem finguntur à nobis existere supra cœlos. *Prob.* Quia mundus universus potest Divinitùs moveri sursum, aut deorsum motu recto; quo in casu mutaret locum, & consequenter mutaret etiam aliquas id genus distantias. *Confir.* Quia sic bene explicatur loci immobilitas; nec potest alio modo commodiùs explicari. *Nec dicas*, in eâ sententiâ posset res aliqua immota, locum nihilominus mutare. Ut si Deus universum mundum moveret sursum motu recto, terra *v.g.* consequenter moveretur; & tamen immota perseveraret; quia servaret semper easdem distantias à diversis cœli punctis. ℞. Sic terra per accidens tantùm, id est, ad motum totius in quo continetur, mota, servaret quidem easdem habitudines cum aliis totius sui partibus; non autem si moveretur per se. Sic aliquis in navi quietus, ipsius nihilominus motu navis dicitur moveri per accidens, & ratione tantùm totius mutare distantias. Atque his præsuppositis.

Dico I. Contra aliquos recentiores. Nulla res est creata quæ alicubi non existat. *Prob.* Quia sicut non potest existere, quin saltem coëxistat alicui parti virtuali æternitatis Divinæ; ita etiam à pari per proportionem, quin & coëxistat Divinæ immensitati secundùm aliquam ejus partem virtualem; quod est alicubi existere. Nam si per impossibile daretur Angelus infinitæ extensionis virtualis, qui consequenter adæquatè foret præsens Divinæ immensitati, meritò diceretur esse ubique; ergo inadæquatè solùm illi immensitati respondens, debet dici existens alicubi. Nec verò, quod respondent adversarii, præterea opus est ut aliquo reali spatio

concludatur. Nam primò, in doctrina Aristotelis 4. *phys. c.* 1. cùm res omnis sit alicubi, illud consequenter attribuit cœlo: quod tamen non existit nisi in spatio virtuali, siquidem supra ultimam sphæram nihil existit. Item, quemadmodum nihil potest esse productum à Deo, de quo vera non sit hæc propositio; nempe, *vel est, vel fuit aliquando*; ita & vera hæc est, *vel hîc existit, vel alibi*; ergo alicubi, id est, aliquo in loco vel reali, vel saltem virtuali.

Objic. Esse in loco est quid accidentale rei locatæ. *C.* Ergo ab eâ separabile: nam substantia locata potest Divinitùs conservari sine omnibus accidentibus. *Dist.* De accidentibus absolutis: *Tr.* De accidentibus connotativis, & iis maximè quæ propriam entitatem non habent. *N.* At istæ sunt de genere earum formalitatum quæ necessariò tribuunt subjecto suo effectum & denominationem formalem, cùm ipsarum connotatum existat necessariò, nempe hæc, aut illa pars virtualis Divinæ immensitatis; vel hoc aut indeterminatè spatium, saltem virtuale, cui res locata coëxistat.

Notabis autem locum propriè & physicè sumptum, esse spatium quoddam corporeum naturalium corporum proprium, & ipsorum etiam, quantùm est de se, conservativum. Quamobrem solis corporibus convenit sic esse in loco propriè & physicè sumpto. Quippe res spiritualis, ut Angelus, est independens à loco corporeo, nec ab illo potest perfici, &c. At

Not. 2. Locum hujusmodi alium esse remotum, seu communem; alium verò proximum. Locus communis est qui multa continet à se etiam invicem distantia. Sic aves sunt in aëre, pisces in mari, nos in Europa, in Gallia, in hac civi-

civitate, in hoc cubiculo. Locus autem proximus est unicuique rei proprius, seu quem illa res sola occupat. Ac de isto quidem hîc sermo est duntaxat. Porrò

Dico II. *Locum* hoc modo sumptum, ex variis Aristotelis locis, sic definiri: Est corporis continentis terminus, seu superficies concava immobilis. Quod enim attinet ad ultimam hanc particulam, constat ex doctrinâ superiori, quemadmodum immobilitas sit essentialis loco, unde à vase differat. Vt autem de priori definitionis parte agam; corpus ambiens rem locatam, putà aër, non dicitur propriè locus, nisi ratione superficiei concavæ, secundùm quam de facto rei locatæ commensuratur, & ad ipsam terminatur.

Notandumque est, superficiem illam sumi duobus modis. Primò prout est quædam extensio in longum & latum, sicque ad quantitatem pertinet. 2. Vt est terminus extrinsecus rei locatæ, quo pacto vocatur *locus*; nam corpus eatenus dicitur *locatum*, quia illâ superficie ambitur, seu continetur; illique coëxistit, coëxtenditur, commensuratur. Et quanvis illa superficies ambiens sit extrinseca rei locatæ, ab eâ tamen petitur denominatio locati. Nec dicas, corpus intrinsecè denominatur locatum. Ergo illud oriri debet à formâ illi intrinsecâ. ℞. Denominari *locatum* per coëxistentiam ad locum extrinsecum: quo pacto assignatur quidem rei coëxistentia, tanquam aliquid intrinsecum, non tamen sine extrinseco.

Not. 2. Superficiem illam ambientem non sumi materialiter, quatenus est hæc determinatè, aut hujus corporis determinati superficies; sed potiùs formaliter, quatenus est indetermina-

tè

tè hæc aut illa; hujus aut illius corporis indeterminatè superficies. Atque ita lignum *v. g.* in aquâ defixum, dicitur remanere in eodem loco, licet aquâ præterfluente, non eâdem consequenter hac numero aquæ superficie ambiatur; quia satis est quòd eandem semper distantiam à punctis mundi fixis conservet sub hac aut illâ superficie continente, sive reali, sive virtuali.

Dico III. Ex proprietatibus loci prima est, continere locatum. 2. Esse æqualem locato. Nam sumitur non pro corpore ipso ambiente, sed tantùm pro illius superficie, rei locatæ immediatâ; quæ quidem licet sit extra rem locatam, ipsamque contineat, non dicitur tamen major re locatâ; quia continens illud sumitur tantùm formaliter pro superficie sine profunditate, quamobrem nihil addit supra magnitudinem rei contentæ; siquidem superficies, ut pote indivisibilis, superaddita alicui extenso, non reddit illud magis extensum. Tertia loci proprietas est, conservare locatum, ubi maximè agitur de loco naturali. Sic aves conservantur in aëre, quæ in aquâ interirent: sic pisces in ipsâ aquâ; sic mundus elementaris intra cœli ambitum, cujus influxu continetur conservaturque: & sic de aliis.

Dico IV. Ex Aristotele, variæ illæ sunt loci differentiæ per respectum ad animal; nempe esse sursum, deorsum, ante, retrò, dextrorsum, sinistrorsum.

CAP. II. *Forma constitutiva rei in loco.*

QVia res creata de se indeterminata est ac indifferens, ut in uno potiùs loco existat quàm in alio; ideo plerique ex recentioribus existimant esse necessarium, ut forma aliqua

seu

seu modus realiter distinctus rei locatæ aut locabili adveniat, per quem formaliter determinetur & constituatur in tali loco; formamque istam seu modum realiter distinctum appellant vel *ubi*, vel *locum internum*; ad differentiam superficiei corporis ambientis, de quâ superiori capite ajebam, quam vel *ubi externum*, vel *locum externum* omnes nominant. At

Dico I. Rejici debet illud *ubi* internum realiter distinctum. *Prob.* Tum quia fundamentum non habet in doctrinâ Aristotelis, ut monui in Logicâ, *cap. De Denominativis*. Tum quia repugnat rationi. Nam frustra est: sicque istud vulgò demonstrant; nempe, ut ait Arist. quemadmodum veste inductâ corpori, hoc ipso censetur vestitum, sublatâ etiam omni entitate modali aliâ; ita per proportionem, hoc ipso præcisè quòd res alicui loco seu spatio ambienti coëxistat, eo, inquam, ipso censeri debet locata. Et verò, quemadmodum etiam inutilis est durationis modus realiter distinctus, ad hoc ut res existat in tempore; ut posteà demonstrabo; ita inutilis quoque est ad hoc ut existat in loco. Item, sublatâ illâ entitate ubicativâ, fieri non potest quin res loco isto contenta, non dicatur in ipso existere. *Respondent* alii cum Mæratio, tunc rem fore nullibi. Quod per se videtur absurdum. Illudque superiori capite refutavimus. Certè, in illa hypothesi, non desinit esse in eodem loco, siquidem non est translata ad alium. Respondent ergo alii, non esse admittendam hypothesim, nec posse rem ullam creatam destitui modo ubicationis ejusmodi realiter distincto. Sed *contrà est.* Nam Divinitùs saltem substantia omnis creata potest existere absque omni accidente entitativo & realiter distincto.

Et

Et verò accidens ejusmodi tam de se est liberè dependens à concursu Dei conservativo, quàm substantia. Idemque dici potest contra alios, qui putant illud *ubi* internum idem esse cum extensione locali, quam statuunt de novo advenire ad mutationem loci. Præterea etiam refutari potest forma id genus de novo realiter adveniens, quia non posset rectè assignari causa naturalis productiva ipsius. Quòd enim respondent emanare ab ipsâ re locatâ; *Contrà est.* Nam saltem illa res de se non haberet potiorem rationem ad emanandam ubicationem tali in loco constitutivam, quàm in alio; ergo ad id opus haberet aliâ formâ sui determinativâ: quæ per se absurda sunt, &c.

Dico igitur II. Rem in loco formaliter non constitui, nisi per ipsius coëxistentiam ad talem locum. Item, determinari effectivè ad coëxistendum tali loco, vel per ipsius rei creationem aut generationem in tali loco, vel per motum localem, aliudvè genus positionis in eo loco. Hoc enim sufficit. Siquidem non posset consequenter non esse tali in loco.

Objic. 1. Productio rei abstrahit de se à loco, estque indifferens vi productionis suæ, ut sit tali, vel tali in loco, putà cùm Deus hominem creat. *C.* Ergo debet illi aliquid superaddi, unde ad talem locum determinetur. ℞. Ad id determinari formaliter per sui coëxistentiam ad talem locum: effectivè autem per actionem ipsius rei productivam, quæ non potest exerceri nisi in aliquo determinato loco, vel quem eligat Deus, aut causa alia libera; vel quem exigat causæ ipsius præsentia; & sic vi productionis suæ res ponitur efficienter in aliquo determinato loco.

Objic.

Objic. 2. Petrus de novo denominatur locatus seu existens in tali loco, cùm antea in illo non existeret; sicque fit transitus de contradictorio in contradictorium. *C.* Ergo debet in eo casu admitti in rebus aliqua mutatio realis. *C.* Atqui nulla esse potest, nisi supponatur advenire nova ejusmodi *ubicatio* distincta realiter. *N. min.* Sufficit enim ut Petrus mutetur secundùm extrinsecum locum, ad hoc ut recipiat novam hanc denominationem realem locati: quæ denominatio partim est intrinseca, petita nimirum à coëxistentiâ Petri in loco, unde & recipit novam relationem ad locum; partim est extrinseca, nempe à loco extrinseco.

Inst. 1. Nihil fieret de novo realiter in rerum naturâ. Ergo non esset nova mutatio realis. *Dist. Ant.* Nihil fieret secundùm novam realitatem. *Tr.* Nihil fieret de novo realiter secundùm novam formalitatem. *N.* Estque in memoriam revocandum, quod monui in Logicâ, ubi de denominativis.

Inst. 2. Petrus de novo existens in loco, nihil plus diceret quàm Petrum & locum. Ergo nihil esset factum de novo in rerum naturâ. *Dist. Ant.* Nihil plus diceret entitativè & realiter. *C.* Sed plus diceret formaliter & respectivè. Nam præter locum & Petrum, est existentia Petri ipsius in loco.

Inst. 3. Petrus & *locus* possunt esse nemine cogitante sine coëxistentiâ ipsius Petri ad talem locum. Ergo illa coëxistentia, seu ubicatio, non est idem nemine cogitante cum Petro & loco: ergo est aliqua entitas ab utroque illo termino distincta realiter. *Dist. Ant.* Possunt esse sine illâ coëxistentiâ, defectu alicujus realitatis. *N.* Sed tantùm defectu alicujus formalitatis & con-

connotati. Quare etsi non sunt idem quoad formalitates connotativas seu relativas; sunt tamen idem quoad absoluta, & quoad realem entitatem. Quinetiam, ut mutentur denominationes ejusmodi relativæ in Petro, quod jam dixi, sufficit in eo mutatio realis secundùm extrinsecum locum, quanvis non mutetur intrinsecè, seu secundùm intrinsecum.

Notandumque est, dici nihilominus mutationem realem, saltem virtualem, secundùm extrinsecum locum, etsi locus ille de novo per motum localem acquisitus, non sit realis, sed tantùm virtualis; ut contingeret in vacuo.

Inst. 4. Actio realis est ad terminum realem, qui de novo ponatur in rerum naturâ. Atqui motus localis est actio quædam realis: ergo debet habere terminum aliquem realem de novo in rerum naturâ: qui alius esse non potest, quàm *ubi* internum. *Dist. Maj*. De actione ad locum purè adductivâ. *N*. De alio genere actionis. *Tr*. Vel saltem. ℞. sufficere novum terminum realem secundùm novam formalitatem, ut aliàs jam monuimus.

Dico III. Variis modis res esse in loco potest. Primò, *circumscriptivè*, quando scilicet res ita spatio continetur, ut illi divisibiliter coëxistat, commensureturve; id est, cùm tota est in toto, & pars in parte: quod solùm rei localiter extensæ convenit. At esse in loco *definitivè* tunc dicitur, quando res ita est tota in toto, ut etiam tota sit in qualibet ejus parte. Quod est existere in loco indivisibiliter, & incommensurabiliter. Vt contingit Angelo, vel corpori non extenso localiter. Quem statum habet corpus Christi Domini positum sub speciebus V. Eucharistiæ.

CAP.

CAP. III. *De Existentiâ plurium simul corporum in eodem loco per penetrationem. Tum de existentiâ ejusdem in pluribus simul locis.*

DIco I. Penetratio, seu coëxistentia plurium corporum in eodem simul loco est naturaliter impossibilis: ut patet experientiâ. Istudque postulat bonum universi atque ordo, ne simul omnia corpora uno in loco possint confundi. Neque verò, quod ajunt, ignis in ferro candenti simul est penetrativè cum ipso ferro, sed intra ferri poros. Item, cùm in scyphum cineribus plenum aqua infunditur, ideo scyphus aquam illam simul capit cum cineribus, quia magis comprimuntur, evolantque partes tenuiores. Item, simul capit aquam cum aliquibus nummis aureis, quòd ipsi aquam suâ gravitate comprimendo addensent, &c.

Notandumque est, ex superiori Disput. hanc impenetrabilitatem oriri à quantitate; quæ non modò impediat ne partes ejusdem corporis sint simul loco, sed etiam ut corpus aliud ab eodem loco similiter expellat per formalem incompossibilitatem. At

Dico II. Contra Durandum; Possibilis est supernaturaliter multorum corporum penetratio. Hæcque est communis doctrina Ecclesiæ. Sic enim habemus ex sacris literis, Christum Dominum cœnaculum fuisse ingressum januis clausis; sic prodiisse virginali ex utero, & clauso ex sepulchro. Item, in eo positum est donum subtilitatis, quo prædita sunt Beatorum corpora.

Notabis autem corpus extensum localiter non expellere aliud corpus ab eodem loco per aliquod efficientiæ genus, siquidem quantitas non est hoc modo effectiva ad extra. Quin potiùs hic

hic est aliquis formalis effectus quantitatis, per quem sit de se naturaliter eodem in loco formaliter incompossibilis cum aliâ. Quare non potest explicari illa penetratio corporum per denegationem concursus Divini ad effectivam hujusmodi expulsionem alterius corporis ab eodem loco. Vnde videtur superesse ut dicamus, tum communicari à Deo supernaturaliter *extensioni locali* talem *essendi modum*, sub quo non tribuat quantitati actualem impenetrabilitatem; ac proinde fiat hac ratione corpus *subtile*, ut ajunt; id est, cum aliis penetrabile. Estque iterum revocanda in memoriam doctrina de *modo essendi*, quam tradidimus in Metaphysicâ, *Tract.* 1. *Disp.* 3. *c.* 4. Iam verò

Dico III. Vnum corpus uni loco sic naturaliter respondet, ut naturaliter in pluribus simul locis esse non possit. Quod satis ipsa demonstrat experientia. Quinetiam certum est de Fide; unum & idem corpus sic uno in loco supernaturaliter posse existere circumscriptivè, seu extensè & connaturali modo, ut in aliis simul locis possit constitui saltem inextensè. Quod fieri credimus in V. Eucharistiâ. Controversia est, an poni simul in diversis locis possit extensè, seu circumscriptivè; quod negant Thomistæ.

Dico IV. Ex communiori doctrinâ contra Thomistas, potest idem corpus simul diversis in locis existere etiam extensè, seu circumscriptivè. *Prob.* Quia non magis repugnat duo corpora extensa esse in eodem simul loco, quàm idem in duobus simul. Non enim majori necessitate unum corpus exigit de se unum duntaxat locum, quàm duo corpora exigant duo loca: nec magis unitas corporis dicit *indivisio-*

nem

nem quoad locum, quàm *divisionem* ab alio, etiam quoad locum. Ergo si possunt duo corpora esse simul in loco, etiam extensè, *ut assert. 2. modò ostendimus*; potest & idem esse in duobus simul locis, etiam extensè.

Confir. 1. Quia non magis repugnat corpus idem in multis simul locis poni extensè, quàm inextensè: immò plus est miraculi poni inextensè, quàm extensè & connaturali modo. Ergo cùm doceat Fides de V. Eucharistiâ, corpus Christi Domini simul esse in multis locis inextensè; potest à fortiori multis simul in locis existere & extensè, seu circumscriptivè.

Conf. 2. Etiam absolutè contra hæreticos. Quia istud nullam involvit contradictionem; siquidem ex eo non sequitur *idem simul esse & non esse*; sed tantùm idem multoties existere, multisque simul locis comprehendi. Huc accedit, quòd de facto Christus Dominus in cœlo existens, apparuit nihilominus B. Paulo Damascum proficiscenti, ut legitur *Act.* 9. Ergo tunc simul erat duobus in locis.

Conf. 3. Ex iis quæ de reproductione tradidimus, *Primâ parte hujus Physicæ. Tract.* 2. *Disp.* 6. *cap.* 3. Rem nimirum eandem, etiam existentem actu, posse iterum produci, seu replicari, & multoties simul existere. Inde enim sequitur eandem tam secundùm substantiam, quàm secundùm ejus quantitatem extensam localiter perinde replicatam, posse multis simul in locis existere. Et verò, ut confirmetur nostra doctrina de reproductione, præsuppositâ mysterii Eucharistici veritate; certum est primò, in eo corpus Christi Domini non esse præsens nisi per veram aliquam actionem realem; cùm nova ista præsentia sit aliquis novus realiter effectus.

Cer-

Certum est autem secundò ex Fide, actionem hanc esse conversionem substantialem, seu *transubstantiationem*, in quâ desinat panis quoad substantiam, tanquam *terminus à quo*, cujus in locum succedat corpus Christi Domini, tanquam *terminus ad quem*. At in omni conversione substantiali verè producitur *terminus ad quem*: unde consequens est, ut in hoc mysterio corpus Christi Domini jam verè existens, iterùm producatur, seu replicetur. Quo sensu ajunt Sancti Patres Sacerdotem conficere corpus Christi Domini, &c. Quare

Not. 1. Actionem hanc non esse merè adductivam corporis Christi Domini, nec fieri præsens in Eucharistiâ, per productionem, ut ajunt, novi *ubi*. Nam istud *ubi* est accidens quoddam, nec proinde hîc fieret *transubstantiatio*, seu mutatio ad substantiam, sed tantùm ad accidens. Item, cùm ille *ubicationis* modus, quem supponunt adversarii, aliud nihil sit quàm determinatio quædam & unio locati ad locum; si hac solùm ratione, id est, per solam ubicationis productionem corpus Christi Domini in cœlo existens constitueretur verè & realiter præsens in Eucharistiâ; posset perinde anima in cœlo existens uniri corpori in terris per solam productionem modi alicujus unitivi in animâ; neque ad istud prærequireretur præsentia intima extremorum ad invicem uniendorum. Item, sequeretur existere creaturam aliquam à parte rei, non tamen productam; si nempe corpus ut in cœlo existens destrueretur, idem autem conservaretur ut existens in Eucharistiâ, in quâ supponunt non fuisse reproductum.

Notandumque est consequenter 2. Corpus sic replicatum, esse virtualiter seu æquivalenter

ter

ter multiplex, etsi formaliter sit unum & idem. Nam hoc pacto idem præstat ac si esset formaliter multiplex. Siquidem *v. g.* posset fieri exercitus ex uno homine multoties replicato; posset moveri contrariis motibus, idemque sibi ipsi tum ex oriente, tum ex occidente occurrere: posset uno in loco quiescere, in alio moveri; aliaque id genus quæ in eodem non replicato haberent quidem contrarietatem, non autem in replicato. Item

Not. 3. Corpus replicatum posse considerari duobus modis; primò secundùm se & absolutè, seu secundùm prædicata absoluta, id est, quæ abstrahunt à loco, putà esse compositum ex materiâ & formâ; habere in se tales qualitates, &c. Secundò verò spectari potest respectiuè ad locum, seu secundùm prædicata localia; id est, quæ sequuntur locum, seu rem prout est in loco. Quo posito,

Not. 4. Attributa seu prædicata absoluta esse ubique eadem, & cum ipso corpore replicato semper conjuncta per sui replicationem seu reproductionem, saltem connaturaliter ad statum ipsius reproductionis. Atque ita corpus in duobus locis positum habet eandem animam, eosdem artus, eundem calorem similiter reproductum, &c. Quanquam absolutè corpus idem reproduci posset sine aliquâ ex iis rebus; nam posset reproduci, animâ non reproductâ; quamobrem etsi, loquendo simpliciter, non diceretur corpus mortuum, prout tamen foret tali in loco, diceretur inanime, & sic de aliis. At

Not. 5. Res illas quæ dependent in fieri ab agente extrinseco, non multiplicari necessariò ad corporis replicationem in multis locis, quatenus sunt in fieri. Quanvis in facto esse, conna-

turaliter ad statum reproductionis, illi conveniant. Sic Petrus tum hîc, tum Romæ simul existens, dum Romæ ad focum assidet, calefit solùm ab igne illo prout est Romæ; quanvis nihilominus per supernaturalem reproductionem quæ illi statui est connaturalis, eodem simul tempore, ille idem calor in Petro, prout est hîc, ponatur. Item, quando ut Romæ existens comedit; non sequitur ut hîc quoque prout est hîc dicatur comedere, quanvis utrobique nutriatur æqualiter. Item, sic Romæ potest existere mediis in ignibus; hîc autem simul mediis in aquis. Quo in casu pateretur connaturaliter eodem modo, ac si glacies & ignis eodem in loco in ipsum agerent. Quanquam absolutè potest corpus, ut Romæ existens, absumi, idemque servari prout hîc est. Item, percussus Romæ, dolorem quidem sentiret prout est hîc, quanvis prout est hîc non percuteretur. Item, si ut Romæ est existens ferret pondus gravissimum, potentiam ejus exæquans, nihil posset ampliùs ferre ut hîc existens, nisi à Deo virtutem intensiorem reciperet. Item, peccans uno in loco, denominaretur & peccator in alio, quia istæ sunt denominationes absolutæ à loco.

CAP. IV. *Solvuntur Objectiones.*

O*Bjiciunt* Thomistæ. Quod circumscribitur loco uno, ipso comprehenditur: ergo nihil istius corporis est extra hunc locum. Ergo vi comprehensionis hujusmodi non est in alio. ℞. 1. Nimis probat istud argumentum; quia destrueret præsentiam realem corporis Christi Domini in V. Eucharistiâ. ℞. 2. Corpus non replicatum, quando uno comprehenditur loco, non esse extra illum. At replicatum potest simul

diver-

diversis locis iterum atque iterum comprehendi. Item, ut ajunt, sic finitur, terminaturque isto loco, ut præterea ratione replicationis, seu iteratæ productionis, alio, & alio loco iterum terminetur, finiaturve.

Inst. 1. Corpus non est extensè seu circumscriptivè in loco, nisi per quantitatem localiter extensam. *Tr.* Ergo corpus non potest esse nisi uno in loco circumscriptivè. Quia corpus non est capax nisi unius quantitatis; nec quantitas illa potest conferre nisi unum ejusmodi effectum formalem essendi in loco circumscriptivè. ℞. Nego corpus esse tantum subjectum capax unius quantitatis, ut habetur 1. *parte hujus phys. Tract.* 1. *Disput.* 3. *c.* 2. Sed *Transeat*. Dico per eandem quantitatem *replicatam*, seu *reproductam* cum ipso corpore pariter reproducto, posse illud constituere multoties in loco circumscriptivè: quanvis istud præstare nequeat *non replicata*.

Inst. 2. Sic locus multiplex esset major quàm res locata. *Dist.* Non replicata. *C.* Replicata. *N.* Neque res etiam locata sic foret major seipsâ secundùm entitatem & absolutè, sed tantùm ratione illius replicationis.

Objic. 2. Corpus replicatum tum Romæ, tum in hac civitate, esset divisum à seipso, & à seipso distans: ergo non esset unum & idem. *Dist. Ant.* Esset divisum à seipso secundum locum. *C.* Secundum entitatem & substantiam. *N.* Vel si lubet, potest quidem hîc admitti rei ejusdem à seipsâ, & secundùm substantiam, divisio virtualis, negando formalem.

Inst. 1. Existens Romæ conservari posset, destructo ipso quatenus in hac civitate existeret. *C.* Atqui illa distinguuntur secundùm enti-

tatem seu realiter, quorum unum remanet realiter, altero non remanente. *Dist.* De altero replicato, aut non replicato. Quæ distinctio ut suprà monui, solvit etiam difficultates omnes petitas ex variis contrarietatum generibus, uti sub finem superioris capitis exposui.

Inst. 2. Sequeretur duas formas substantiales naturaliter posse educi ex eâdem materiâ. Atqui falsum Cons. Ergo & Antec. *Prob. sequela majoris.* Quia frustum panis replicatum posset idem manducari tum ab homine & in ejus substantiam converti, ac proinde informari ab animâ rationali: tum aliunde comedi etiam posset à cane; & sic informari ab animâ caninâ. Hæc autem fierent per operationem naturalem facultatis vegetativæ. ℞. Formas illas non repugnare ob reproductionem materiæ, quæ hoc pacto redditur virtualiter duplex. Item ℞. Actionem hanc facultatis vegetativæ non exerceri absolutè sine miraculo, sed potiùs ex hypothesi miraculi; ac proinde non esse naturalem nisi ex hypothesi reproductionis supernaturalis.

Objic. 3. Idem non potest simul esse in diversis temporibus. C. Ergo neque in diversis locis. N. *parit.* Quia diversa tempora simul existere nequeunt in rerum naturâ. Notandumque est quod illæ adversariorum objectiones perinde probarent contra præsentiam realem Christi Domini in V. Eucharistiâ.

CAP. V. *De Vacuo.*

V*Acuum* & *inane* propriè dictum in eo differunt, quòd *vacuum* sit spatium quoddam terminatum aliquo corpore, in se carens omni corpore. *Inane* autem propriè dictum, est quidem carentia omnis corporis, sed non termina-

ta,

ta, seu non conclusa aliquo corpore; cujusmodi est spatium illud quod imaginamur esse extra cœlos omnes. Atque his suppositis,

Dico I. Natura vacuum non patitur. *Prob.* Quia vacuum destrueret naturalem dispositionem universi, foretque bono ipsius contrarium. Nam inferiora non possent à superioribus recipere influxum quo conservantur, perficiunturque ad agendum: siquidem posito vacuo, cœlestia corpora suos influxus per illud trajicere deberent, aut agere in distans sine medio: atqui neutrum fieri potest, ut suis locis demonstravimus. Hæcque est mens Aristotelis 3. *Meteor. c.9.* cùm ait hunc mundum inferiorem superioribus *lationibus*, id est, cœlis debere esse contiguum, ut ab iis regi & conservari possit. Confirmaturque ista doctrina quotidianis diversæ rationis experimentis. Sic enim latera follium diduci non possunt, nisi aditus pateat aëri, qui subingredi debeat metu vacui. Sic in cucurbitulis attrahitur plus sanguinis, apposito ad ea frigido, ob condensationem aëris anteà per accensas intùs candelas rarefacti. Sic franguntur tormenta bellica, si dum ignis & globus ex iis prorumpit, aër pari celeritate in ejus locum subire nequeat; nempe si foramen per quod ignis immissus est obstruitur. Sic ad impediendum vacuum levia deorsum, gravia moventur sursum; quomodo per fistulam attracto aëre videmus aquam ascendere. Item, sic ipsam aquam videmus retineri in vasis irrigatoriis, quandiu superius epistomium digito clausum fuerit; quod contemplari licet in tabulâ ad finem hujus libri appositâ, *figurâ* 7. *inferioris laterculi.* Hincque oriuntur effectus tam admirabiles in hydraulicis, quòd aqua sursum veluti

cogatur tendere contra propriam & particularem inclinationem, unde & fontes tam varii generis construi solent. Sic uno ex dolio aqua & vinum prorsus exhauriri potest, & in aliud transfundi, ope illius instrumenti quod describitur *figura* 5. Sic pariter *ut in* 4. *fig.* potest aqua ex radice montis in oppositam illius partem traduci per ipsius cacumen beneficio tubi alicujus, hoc nimirum pacto, *uti videre est in figura* 4. Primum, occludantur extrema ipsius orificia; tum ex superiori parte tubus totus repleatur aquâ per foramen diligenter posteà obturandum: ac deinde altero orificio in fontem demerso, utrumque recludatur; tunc aqua ex fonte, metu vacui ascendens, defluet semper in partem alteram, modò ejus orificium sit aliquantisper depressius eo quod fonti immergitur: & sic de aliis.

Objic. Impleatur hydrargyro tubus vitreus pedum plusquam trium ad libitum; hujusque alterum extremum sigillo hermetico sit obseratum. Deinde quâ parte est apertus, apposito digito immergatur in aliud hydrargyrum, quod subjecto in vasculo contineatur, erigaturque perpendiculariter, *ut in fig.* 6. Tum subtracto digito, hydrargyrum ex tubo descendet, nec in eo retinebitur nisi ad altitudinem duorum pedum cum tribus pollicibus, relictâ superiori parte vacuâ; cùm assignari nihil possit quod subeat in ejus locum. Ergo sic natura vacuum patitur. Idem per proportionem continget de aquâ: sed quia minoris est gravitatis quàm hydrargyrum, retinebitur in tubo ad altitudinem plusquam 40. pedum, antequam supra se vacuum relinquat. ℟. Superiorem illam tubi partem non esse omni corpore vacuam. Manifestumque

stumque est, quia experimur per eam trajici lumen & qualitatem magneticam, tum inde exaudiri sonum, si quod parvulum tintinnabulum incluseris. Illæ autem qualitates debent per ejusmodi medium diffundi quod reale sit. Item, si in eâ tubi parte fuerit inclusa carpionis vesicula, tunc mirum in modum intumescet. Ac denique si parti illi apponatur aqua calidior, hydrargyrum descendet tantisper, quod signum est rarefactionis alicujus factæ intra illud spatium; cùm è contrà fiat condensatio ascendente hydrargyro, si affundatur aqua frigidior. Quæ quidem postremæ duæ experientiæ satis manifestè indicant contineri illo spatio aërem, cujus aliqua particula semper cum hydrargyro sese insinuet, tum metu vacui in hunc modum rarefiat ad descensum hydrargyri.

Objic. 2. Aliquis in vacuo existens posset naturaliter movere *v. g.* brachium ad locum alium; ergo sic posset naturaliter facere vacuum deserendo locum ubi erat priùs. ℞. Hic agi de vacuo per separationem corporis alicujus à quolibet alio: quod non reperitur in hac hypothesi.

Not. autem 1. Naturam impedire vacuum diversis modis. Sic enim vel levia descendunt, vel ascendunt gravia, vel rarefiunt quæ sunt densiòra, aut si res alio modo fieri nequeat, perfringuntur corpora. Natura enim illo in casu mediis utitur semper iis quæ minùs violenta sunt, si ad finem assequendum sunt idonea.

Not. 2. Ascensum gravi corpori, aut descensum levi ad impediendum vacuum, esse naturalem; quatenus illa fiunt ex instituto naturæ ad conservationem universi. Nam singula ejusmodi corpora duobus modis considerari debent. Primò, ut sunt entia quædam particularia; &

 sic

sic habent inclinationem quandam ad bonum sibi proprium : quâ ex inclinatione propriâ & particulari, lapis *v. g.* tendit ad centrum mundi. At præterea 2. considerantur ut partes universi, quæ consequenter habeant quoque naturalem inclinationem & appetitum ad bonum totius conservandum. Sic igitur motus sursum in lapide ad impediendum vacuum dicitur ipsi naturalis, quatenus est pars universi ; & in eo casu fertur ad bonum universi contra propriam inclinationem particularem ; quomodo res omnes ferri debent ad bonum commune tuendum, etiam cum jacturâ propriâ, quia bonum commune est majus, quàm particulare singulorum. Quinetiam bonum commune est etiam bonum particularium ; quia destructo bono communi, partes destruuntur. Quam ob causam & ipsa manus ex naturali instinctu opponit sese ictui per quem offenderetur caput. Quæ cùm ita sint,

Dico II. Probabilius est inesse qualitatem aliquam per universa corpora naturalia diffusam, quæ sit principium intrinsecum & naturale motus ejusmodi ad impediendum vacuum ; cùm tamen corpora illa singula relinquat suæ propriæ inclinationi, ubi ordo universi, ad impediendum vacuum, contrarium non postulat.

Notandumque est, qualitatem ejusmodi aliam non esse quàm influxum, aut motionem illam universis corporibus sublunaribus impressam à cœlo, per quam ad agendum perficiuntur, ut primâ parte hujus Physicæ ostendebam, agens de subordinatione causarum sublunarium ad cœlestes. Item, illa est qualitas per quam hæc inferiora dicuntur contineri & regi à cœlo.

lo. Neque enim alioquin explicari posset tam commodè, quemadmodum hæc inferiora contineantur, & regantur à superioribus, juxta commune dictum, quod vulgò petitur ab Aristotele. At

Not. 2. Illam qualitatem esse indifferentem de se ad quemlibet motum, vel sursum, vel deorsum, vel in transversum; cùm solummodo nitatur contra vacuum, prout rei necessitas exigit.

Objic. Res unaquæque per qualitates sibi proprias tendit ad bonum universi. Ergo frustra habet communem illam & cœlestem virtutem. *Dist. Ant.* Sic *per se* tendit ad bonum universi. *N.* Sed tantùm *per accidens*, quatenus tendit ad bonum proprium quod est ordinatum ad bonum universi.

Inst. Hæc qualitas posset movere corpus cujuscunque tandem gravitatis & molis. *C.* Ergo esset infinita. *N. Cons.* Quomodo à pari non opus est gravitate infinitâ ad movendum corpus quodcunque grave deorsum. Item ℞. Qualitatem hanc esse ordinis superioris ad particulares, unde positâ conditione necessariâ, id est, posito vacui periculo, movet contra proprias subjecti sui inclinationes.

CAP. VI. *Quâ virtute possit fieri vacuum, & quæ in eo fieri possent.*

NIhil repugnat fieri à Deo *vacuum*, putà conservare cœlum & terram annihilatis corporibus intermediis. Neque etiam repugnat ab homine, aut ab Angelo per vim supernaturalem fieri aliquod *vacuum*. At

Dico I. Homo nullâ virtute naturali, etiam adhibitis machinis per quas tollere, aut separare

ab invicem queat moles vel maximas, poteſt *vacuum* efficere in naturâ. Patet experientiâ. Nam quocunque remoto corpore naturali, ſemper aliud in ejus locum ſubſequitur. Item

Dico II. Nequidem virtute Angelicâ naturali præſtari illud poteſt. Sic D. Th. & vulgò alii. Prob. Quia, ſaltem ex hypotheſi decreti Divini de conſervando ordine univerſi, non habet Angelus potentiam ullam naturalem niſi ſubordinatam bono univerſi. Quare connaturaliter non exigit concurſum Dei ſimultaneum ad aliquid præſtandum, niſi quod fuerit ſubordinatum bono univerſi, non autem ipſi contrarium. Et verò, quod eſt contrarium bono univerſi, non poteſt fieri niſi per miraculum; id eſt, per virtutem quæ ſuperet vires naturæ univerſalis. Ergo naturaliter fieri ab Angelo non poteſt. Sic igitur Angelus ex tubo aliquo non poteſt vel tantillum liquoris detrahere, impediendo ne quid in ejus locum ſubeat; quia eſt effectus ſuperioris ordinis ad vires ejus naturales, nec conſequenter ad id connaturaliter paratum habet Dei concurſum ſimultaneum. Item, nec eandem ob cauſam poteſt duo plana immediatè conjuncta, ſimul tota ab invicem ſeparare: quia inde ſequeretur fieri *vacuum*, ſiquidem in eo caſu ſpatium interjectum repleri non poteſt niſi per aëris motum inſtantaneum, quem ſupponimus eſſe impoſſibilem.

Objic. Parvum ejuſmodi vacuum non eſſet contrarium bono univerſi: neque enim impediret quominus inferiora cœlorum influxum reciperent. ℞. Tranſeat, *per accidens* parvum illud vacuum non obſtet bono univerſi: *per ſe* tamen eſſet illi bono univerſi contrarium. Si enim poſſet fieri parvum ejuſmodi vacuum,

poſſet,

posset, adhibitâ virtute majori, fieri & majus.

Inst. 1. Potest Angelus Terram universam movere, saltem adhibito aliorum auxilio. *Tr.* Ergo à fortiori potest efficere aliquod vacuum, saltem parvulum: nam hoc minùs repugnaret bono universi. *N. seq.* Nam terræ ille motus repugnaret tantùm particulari terræ inclinationi; at vacuum repugnat cum inclinatione naturæ universæ.

Inst. 2. Angelus cœlorum motor, pro libertate suâ posset motum illum sustinere, quanvis illud foret contrarium bono universi. ℞. In eo casu nihil ageret positivè, neque ad id opus est ullâ potentiâ. At hoc loco sermo est de virtute alicujus rei positivè efficiendæ.

Inst. 3. Posset arcam supra cœlos in inani fabricatam, ac penitus vacuam deferre intra mundum; & sic vacuum inducere in naturam. ℞. Sic partes mundi ab invicem non dissociaret per se, sed tantùm per accidens, ratione vacui in arcâ illâ inclusi.

Objic. 2. Effectus istiusmodi est tantùm finitus. *C.* Ergo posset existere à virtute solùm finitâ. *N. Conf.* Quando illa virtus est inferioris ordinis; aut effectus est bono universi contrarius. Et verò ipsa penetratio corporum est effectus duntaxat finitus; ideóne tamen potest esse ab Angelo?

Inst. Angelus est supra ordinem rei omnis corporeæ. *Tr.* Ergo est supra vim omnem ipsius naturalem. *N. Conf.* Vt patet vel ex instantiâ modò allatâ.

Dico II. Si daretur vacuum, in eo nec vivere quis posset; quia defectu aëris non posset respirare; Neque ibi videretur, aut audiretur quidquam; nam defectu subjecti species propa-

gari in eo nequirent; quam etiam ob causam fax accensa nullum ex se lumen diffunderet. Item, quia,ut dixi,corpus ab omni alio separari non potest, non posset consequenter fieri lapidis projectio ex pleno intra vacuum, etiam per virtutem naturalem Angeli. Quinetiam quanvis tormenta bellica exploderentur adversùs illud vacuum, ipsum tamen emissi globi pervaderent nunquam; consisterentque ad extremas partes pleni, &c. At

Dico III. Motus aliquis vectionis fieri in vacuo naturaliter potest. Nihil enim impedit quominus ab Angelo lapis per vacuum, vel per inane deferatur.

Objic. Vacuum est non ens: ergo quâ ratione fieri non potest motus ullus in chymærâ, quia est non ens; ita nec in vacuo, aut inani. *N. parit.* Quia vacuum, aut inane est spatium aliquod saltem virtualiter reale.

Inst. Posset sine ullâ resistentiâ Angelus per illud vacuum, aut per inane deferre corpus cujuscunque gravitatis,etiam infinitæ;cùm tamen non habeat potentiam movendi nisi finitam. *Prob.* Quia nulla fieret resistentia Angelo,neque ex parte medii, quod supponitur nullum esse; neque ex parte gravitatis, quam ex communi sententiâ supponimus nullam exercere gravitationem, nisi quando est supra levius se, nitendo contra illud. *Conc. totum.* Ergo etiam à pari Angelus, immò & musca virtutis tenuissimæ, posset movere omnem in partem totam ipsam mundi molem; quippe quæ non est nisi in inani. *N. parit.* Nam ultima mundi sphæra habet aliquam sibi innatam immobilitatem, seu qualitatem, per quam reddatur immota in tali Divinæ immensitatis parte virtuali, &c.

Dico

Dico IV. Posset etiam fieri ab Angelo motus aliquis projectionis in vacuo, vel in inani. Quid enim impediret? Et verò, lapis *v. g.* projectus ab Angelo, sic ab ipso determinaretur in unam potiùs quàm in aliam partem. Nec fieret ille motus in infinitum; quia qualitas impressa, à quâ motus istiusmodi procederet, sensim tandem ac successivè desineret.

Superest difficultas, an scilicet motus naturalis gravium aut levium fieret in vacuo; putà an lapis in eo naturaliter moveretur, seu descenderet. Negant Thomistæ, quia, ut inquiunt, motus ille fieret in instanti, cùm autem motus instantaneus sit impossibilis, sequitur ut ejusmodi naturalis motus gravium aut levium in vacuo esse non possit. Sed contrà

Dico V. Si fieret, non tamen foret instantaneus. *Prob.* Quia determinatio motus non petitur solùm à resistentiâ medii, ut volunt Thomistæ; sed præterea primò, quòd sit à tali & determinatâ virtute motivâ, quæ cæteris paribus talem duntaxat efficiat motum. Item, petitur ex distantiâ terminorum *à quo* & *ad quem*, siquidem repugnat de se, ut lapis per motum in eodem instanti simul sit *v. g* in cœlo, tum simul in terrâ & in medio interjacente.

Objic. Arist. eam ob causam negat motum naturalem in vacuo, quia fieret in instanti, ℞. Illum argumentari ad hominem, & contra antiquos, qui docebant totam motûs ejusmodi naturalis determinationem in velocitate aut tarditate, peti à resistentiâ medii: ex quorum principiis, contra ipsos infert, motum naturalem gravium aut levium, si fieret in vacuo, fore instantaneum.

Inst. Fieret sine proportione cum eo motu

qui fieret in pleno: ergo fieret in instanti. *Dist. Ant.* fieret sine proportione ex parte medii. *Tr.* Non autem ex parte potentiæ motricis, aut distantiæ quæ reperitur inter terminos *à quo & ad quem*. Sed his prætermissis,

Dico VI. Gravia aut levia naturaliter moveri in vacuo non possent. Quod sic probo. Non possent naturaliter moveri in inani: ergo neque in vacuo. *Prob. Ant.* Primò, quia, ut suppono, corpus grave naturaliter non movetur nisi quando est supra levius se, illud premendo; quod non contingit in inani. 2. Quæ maximè est efficax ratio; gravia aut levia in inani divinitùs posita, non habent unde potiùs tendant in unam, quàm in aliam partem: ibi enim neque est sursum aut deorsum; nec centrum aut circunferentia: ergo ratione illius indeterminationis moveri non possent. Item, motu semel inchoato, nunquam possent quiescere naturaliter; quia nullus assignari posset locus quietis: ergo sic moverentur in infinitum; quod absurdum est. Probatur verò hinc sequi nec motum ejusmodi reperiri posse in vacuo. Quia de se vacuum perinde se habet ac inane ipsum, nisi quòd terminatur corpore aliquo includente; sed hoc non impedit quo minùs desinat esse pars universi. *Confirm.* Quia si solùm destruatur corpus illud includens, tunc dicetur *inane*, absque ullâ mutatione sibi intrinsecâ; ergo in se perinde se habet ac *inane*; nec magis in eo fieri potest motus naturalis gravium, aut levium quàm in inani.

DISPVTATIO IV.

DE MOTV.

CAP. I. *Natura Motus in communi.*

SI latè ſumitur *motus*, vulgò dicitur eſſe *mutatio*, ſeu tranſitus ab uno ad aliud. Quamobrem in omni motu hæc obſervari debent. Primò, terminus *à quo*, tum terminus *ad quem* fit tranſitus. Item 2. debet hîc obſervari cauſa effectiva motus, quæ dicitur *potentia movens*: ac denique ſubjectum ipſius motus; quod appellari ſolet *mobile*, aut etiam ens potentiale, ſeu ens in potentiâ, & receptivum motus; motuſque ille conſequenter dicitur eſſe actus ipſius ſubjecti mobilis, ſeu mutabilis. At

Notandum eſt, *motum* ita latè ſumptum, & Tò *moveri*, varias ſub ſe quaſi ſpecies continere. Primò enim eſt motus ad *eſſe*, ſive ſubſtantiale, ſive accidentale. Quo potiſſimum ſenſu ajebat Ariſtoteles, *quicquid movetur, ab alio movetur:* id eſt, quicquid producitur, ab alio producitur; cùm idem à ſeipſo accipere *eſſe* nequeat. Sicque infert Ariſtoteles exiſtere in rebus aliquod primum *movens*, quatenus ita res una fit ab aliâ, ut tandem deveniatur ad primam cauſam: quod in Metaphyſicâ proſecutus ſum. 2. *Moveri* ac *mutari* idem eſt ac recipere in ſe novam aliquam perfectionem, ſive ſubſtantialem, ut quando materia prima recipit in ſe novam formam ſubſtantialem, ſive accidentalem; quo pacto aër dum illuminatur, dicitur *mutari* & *moveri*; ſic viſio in oculo, intellectio in intellectu, eſt motio quædam, unde illæ facultates dicuntur formaliter *moveri*. Item, motus & mutatio alia eſt inſtanta-

nea;

nea; quando ſcilicet res fit tota ſimul, ſimulque eſt fieri & factum eſſe: quâ ratione forma ſubſtantialis generatur tota ſimul: ſic etiam lumen dicitur totum ſimul produci in aëre, non autem ſucceſſivè per partes alias poſt alias: ità ex Ariſtotele ſimul video & vidi, ſimul intelligo & intellexi. At prætereà *motus* alius eſt *ſucceſſivus*, quando tranſitus ab uno ad aliud fit ſucceſſivè, cum aliquo veluti fluxu per partes alias poſt alias; putà cùm ſucceſſivè acquiritur perfectior qualitas, aut localis extenſio minor; vel quando ſic tenditur ad alium diſtantem locum. Quia verò hîc maximè diſputatio eſt de nomine,

Dico I. Motus propriè & ſtrictè, juxta Ariſtotelem, eſt ſucceſſivus. Sic enim ex 3. *Phyſ.* ſolet confici definitio motus propriè dicti: *Eſt actus entis in potentiâ, prout in potentiâ.* Nempe, eſt actualitas ſubjecti, vel realiter, vel ſolùm formaliter diſtincta, quæ ſic in eo recipitur, ut quatenus in eo recipitur, actu nihilominus fiat tendentia ad aliud; putà vel ad perfectiorem ejuſdem qualitatis gradum acquirendum, vel ad majorem extenſionem localem, vel ad alium locum. Nec rectè poteſt afferri alia explicatio allatæ definitionis, ſicque accipitur vulgò ab omnibus Peripateticis.

Prætereà verò ex illâ definitione Ariſtotelis colligimus motum propriè dictum non modò eſſe *ſucceſſivum*; ſed etiam eſſe & *continuum*. Alioquin non rectè diceretur actus entis in potentiâ, *prout in potentiâ*, ſi fieret tantùm per inſtantia diſcreta, ſeu quemadmodum vocant, interpolata, cum aliquâ intermediâ quiete; nam mobile non tenderet actu ad aliud, quatenus illius motus partem aliquam reciperet. Item, ſic diceretur motus conſtare ex indiviſibilibus,

quod

quod posteà refutabitur. *Confirm.* Ab ipso Aristotele variis in locis, ubi docet motum esse de genere continuorum. Quare dum Arist. illam affert definitionem motus,perinde est ac si diceret, motum esse *acquisitionem rei successivam, & continuum; fluxum successivum ac continuum: viam, seu tendentiam successivam & continuam ad terminum acquirendum, &c.*

Notandumque est consequenter, motum posse dividi in partes alias & alias, easque priores & posteriores, quæ continuationem inter se habeant sine actuali inter se distinctione,ut sequenti disputatione commodiùs exponetur. Item

Dico II. Motus propriè sumptus differt essentialiter à mutatione instantaneâ, in quâ res ita moveri dicitur, ut simul dicatur & mota. Quare illi accommodari nequit allata ex Aristotele motus propriè dicti definitio. Nec in instantaneis Tò *fieri* est priùs quàm *factum esse*, nisi prioritate rationis & naturæ.

Objic. Ex 5. Phys. omnes dealbationes, & à pari, omnes calefactiones sunt ejusdem speciei, sive sint instantaneæ,sive successivæ. Sunt enim ad eosdem specie terminos. *Dist.* Sunt ejusdem speciei sub ratione qualitatis acquisitæ. *C.* Sub ratione tendentiæ ad illas qualitates. *N.* Nam tendentia successiva differt essentialiter ab instantaneâ. Nec calor *v g.* sub ratione termini successivè, aut in instanti acquirendi, est ejusdem rationis; quanvis sub ratione qualitatis sit idem.

Inst. Ad rationem motus propriè dicti, non est necesse ut sit actualis tendentia ad ulteriorem terminum: ergo non dicit essentialiter successionem,estque illi tantùm per accidens. *Prob. Ant.* Quia motus ipse successivus secundùm se totum

totum sumptus non dicit tendentiam ad ulteriorem terminum; quia de facto per illum totum non tenditur ulteriùs. ℞. Sufficere, si secundùm omnes sui partes distributivè sumptas, sit tendentia ad ulteriorem terminum.

CAP. II. *Variæ motus propriè dicti species & proprietates.*

QVandoquidem motus aliud nihil est quàm tendentia ad terminum; sequitur aliunde quàm à termino *ad quem* non posse specificari; nempe talem dici, seu talis generis aut speciei, quia est ad talem vel genere, vel specie terminum. Quare

Dico I. Illi omnes motus dicuntur esse generis ejusdem, qui sunt ad eosdem genere terminos. Quâ ratione illi omnes motus dicuntur locales, qui sunt ad locum: motus alterationis, qui sunt ad qualitatem alterativam: motus accretionis, aut etiam decretionis, qui sunt ad quantitatem aut majorem, aut minorem. Sic etiam dicuntur esse ejusdem speciei motus, qui sunt ad eosdem specie terminos; ut omnes calefactiones, dealbationes, &c. Atque ista quidem sufficiunt ad unitatem vel genericam, vel specificam motus. Sed

Notabis hæc tria requiri ad unitatem ipsius numericam, unde fiat idem numero motus. 1. Debet esse ad eundem numero terminum. 2. Requiritur unitas numerica mobilis; nam idem numero motus non est diversorum numero mobilium. Quo loco nihilominus observandum est, quòd si homo *v. g.* ex turri decidens, medio in descensu moriatur, in eo fore motum eundem, quanvis non sit idem corpus naturale secundùm eandem formam substantialem; quia saltem remanet

manet idem in ratione corporis continui. 3. Denique requiritur ut sit temporis continuatio & unitas. Nam idem numero motus non fit diversis temporibus. Atque his suppositis,

Dico II. Triplex tantùm per se est genus motus propriè sumpti. Nempe motus ad *qualitatem*, tum ad *quantitatem* & ad *locum*; sicque ut ajunt, motus est tantùm per se ad tria illa prædicamenta. *Prob.* Quia illis rebus duntaxat per se convenit posse acquiri successivè & continuè, modo jam suprà explicato. Neque enim per se est motus ad substantiam, cùm de se producatur in instanti. Vt alibi exponitur. Item, neque ad res aliorum prædicamentorum per se est motus, cùm propriam entitatem non habeant, propriamve producibilitatem: sunt enim tantùm formalitates, quæ posito aliquo extrinseco connotato, suam denominationem subjecto tribuunt, ex communi quidem sententiâ. Item, neque ad motum datur motus, inquit Arist. quia & ad hunc motum deberet esse motus; sicque admitteretur processus in infinitum.

Notandumque est motum localem inter alios motus dici primum, saltem dignitate. Nam ut docet D. Th. eò perfectior est motus, quò mobile per ipsum minùs immutatur; atqui talis est motus localis, per quem scilicet mobile non immutatur realiter secundùm intrinsecum; siquidem nihil reale de novo inducit in subjectum, nec mutatur nisi secundùm extrinsecum locum. Item

Not. 2. Reperiri oppositionem & contrarietatem inter motus; quando scilicet illi sunt ad terminos inter se oppositos & contrarios; ut inter calefactionem & frigefactionem; inter motus locales sursum & deorsum. Quanquam nihilominus *Not.*

Not. 3. Motus contrariè oppositos posse interdum simul reperiri in eodem subjecto, quando non est oppositio nisi secundùm quid; ut inter calefactionem & frigefactionem sub gradibus remissis. Alioquin subjectum idem secundùm eandem qualitatem non recipit motus oppositos: non enim potest idem calor *v. g.* simul intendi & remitti; nec eadem quantitas simul crescere & decrescere. Nec simul potest res eadem per se quiescere & moveri localiter; aut per se moveri oppositas mundi in partes. Quod tamen potest contingere per accidens. Nam qui vehitur navi ad orientem, potest in eâ simul quiescere, aut etiam proprio motu in eâ simul deambulare versùs occidentem.

CAP. III. *Motus indistinctio sive à subjecto mobili, sive à termino.*

MOtus, inquit Arist. 3. *phys.* nihil est præter res. Ergo motus entitativè non distinguitur ab alio: nec fit in rebus secundùm novam entitatem, sed tantùm secundùm novam formalitatem. Ratio hujus indistinctionis est, quia frustra foret. Quod enim spectat ad singula motuum genera;

Dico I. Motus localis à suo subjecto non distinguitur realiter; nihilque est aliud quàm applicatio, seu coëxistentia successiva mobilis ipsius ad spatium; siquidem hac solâ positâ, sufficienter intelligitur motus; quemadmodum positâ permanente rei coëxistentiâ ad locum, sufficienter intelligitur in loco consistere, sine aliâ formâ intrinsecâ ubicationis realiter superadditâ. Ita D. Th. 1. *p. q.* 10. *a.* 3. passimque alibi, docet eo in casu non fieri ullam mutationem, nisi secundùm extrinsecum. Neque verò etiam, quod

quod volunt recentiores modistæ, per motum ejusmodi localem producitur aliqua ubicatio fluens realiter distincta. Iam enim ostendi suprà, esse illam supervacaneam; nec commodè assignari posse causam illius productivam.

Objic. 1. Ens successivum, de se nimirum habens tantùm partes alias post alias, non potest esse idem cum permanente, putà cum lapide; cùm habeat partes suas totas simul: ergo motus localis non potest esse idem cum subjecto suo, putà cum lapide moto. ℞. Satis est quod non sit idem cum ipso secundùm propriam formalitatem; quanvis dicatur esse idem realiter seu entitativè. Et verò etiam motui sic competit esse vel *tardum*, vel *velocem*, quod etiam rei mobili non convenit, nisi secundùm aliam formalitatem.

Inst. 1. Sequeretur motum esse pariter idem cum quiete; nam quies pariter non distinguitur ab ipsâ re quietâ; siquidem aliud nihil est quàm ipsius rei permanentia in termino per motum acquisito. Hæc autem permanentia non est quid distinctum ab ipsâ re. Ergo simul etiam idem foret cum ipso motu. ℞. Esse quidem cum ipso idem quoad entitatem, non autem quoad formalitatem.

Inst. 2. Motus & quies sunt contrariè opposita. Ergo non possunt esse idem. *Dist.* Sunt contrariè opposita secundùm diversas realitates. *Nego.* Sed tantùm secundùm diversas formalitates & ratione connotatorum. Nam & quies præter ipsius rei positivam permanentiam in suo termino, simul dicit privationem, seu desitionem motus.

Inst. 3. Ille motus est novus effectus realis, à potentiâ reali, realiter operante. Ergo est aliqua enti-

entitas de novo producta. R. Sufficit quòd sit novus effectus realis secundùm novam formalitatem; non autem secundùm novam realitatem. Vt aliàs dictum est de figurâ, & de resistentiâ, quæ est etiam effectus potentiæ resistitivæ realis realiter agentis.

Inst. 4. Motus naturalis qui à gravitate in lapide producitur, debet esse quid ab eâ gravitate distinctum nemine cogitante, tanquam effectus à causâ. *Transeat.* Motus enim iste recipitur in lapide; ac proinde realiter distinguitur à gravitate, quæ supponitur habere distinctionem realem ab ipso lapide. Quanquam inde non sequitur esse novum effectum secundùm novam realitatem; satisque est in illâ hypothesi, quòd nemine cogitante distinguatur formaliter; nec ideo requiritur ut distinguatur realiter.

Inst. 5. Potentia in viventibus, cùm sit vitalis, attingit motum secundùm novam entitatem; quia potentiæ vitali maximè convenit ut eliciat actum à se realiter distinctum. R. *Transeat* de potentiâ quæ per se est vitalis. At potentia motrix in viventibus non dicitur vitalis nisi per accidens, quatenus subordinatur appetitui, aliisve potentiis vitalibus, per quas applicatur ad motum faciendum.

Objic. 2. Si planum alteri plano immoto superpositum moveatur; vel sphæra minor inclusa majori, quæ quiescat, minori solùm motâ; non erit potior ratio cur una dicatur mota, alterâ immotâ, quia de utráque dici poterit, quod alterius partibus successivè respondeat, coëxistatve. Ergo ut huic occurratur incommodo, debet admitti motus realiter distinctus in eo subjecto quod dicitur de facto moveri. R. Planum alterum, aut sphæra duntaxat altera ex eo sufficienter

ter dicetur moveri, quòd secundùm sui partes saltem distributivè sumptas, mutet distantiam à punctis mundi fixis, quanvis secundùm se totam maneat in eodem semper loco.

Dico pariter II. Motus ad *qualitatem*, aut ad *quantitatem*, ut vocant, non distinguitur realiter à suo termino *ad quem*. Sic enim *v. g.* sufficienter intelligitur motus calefactionis, quatenus intelligitur ipse calor fieri successivè & continuè perfectior. Quâ etiam ratione fieri & factum esse in eodem non habent prioritatem & pósterioritatem nisi secundùm rationem; nec distinguuntur inter se nisi secundùm diversas formalitates.

Objic. Via Thebis Athenas distinguitur realiter ab utroque suo illo termino. *Tr.* Ergo & motus, seu tendentia ad calorem; cùm sit quædam ad ipsum via. *N. parit.* Neque enim illa caloris tendentia dicitur via propriè, sed tantùm metaphoricè.

CAP. IV. *Motûs localis natura in particulari.*

QVia Deus essentialiter est immensus, spatiumque omne possibile supercomprehendit, non potest consequenter transire à loco ad locum in quo priùs non existeret. Nec motus localis in rebus à naturâ est institutus, nisi ut earum indigentiæ & imperfectioni subveniatur. Ex eo enim res creata deficit, quòd omni loco præsens adesse nequeat, unde vel bonum sibi conveniens obtineat, vel alteri proficiat. Sic igitur tum Angelus, tum corpus naturale habet motum localem. Si autem daretur Mathematicum indivisibile actu separatum, naturalem motum non haberet, inquit Arist. quia locum naturalem haberet nullum, ad quem viribus à naturâ

naturâ sibi insitis tenderet; etsi aliunde moveri posset, vel per accidens, ad motum illius corporis cui inexisteret, vel motu vectionis.

Supponendumque est contra Zenonem, de facto esse admittendum in rebus motum localem; quod satis vel ipsâ manus agitatione, aut unicâ deambulatione revinci potest.

Objic. Si res aliqua moveretur, vel moveretur in loco ubi est, vel in loco ubi non est; neutrum autem dici potest. ℞. Non moveri quidem in loco ubi est *permanenter*, sed tantùm in quo est *successivè*: quæ autem sic moventur, dicuntur etiam esse successivè in loco majori se.

Inst. 1. Motus ille non posset habere aut initium aut finem. Ergo non posset existere. *Prob. Ant.* Quia in eo non posset assignari pars prima, aut ultima, nisi dicatur constare ex indivisibilibus. ℞. Huic difficultati satisfiet sequenti disputatione.

Inst. 2. Achilles distantem testudinem nunquam posset attingere. Quia testudo semper aliquid spatii novi absolvet, antequam perveniat Achilles ad locum in quo priùs existebat testudo lentigrada. ℞. Achillem plures spatii illius partes sub æquali tempore percurrere, unde facilè attingat & prætereat testudinem. Neque verò etiam fit ille cursus nisi per partes determinatas, & eas quidem majores, quæ per majores passus designentur ab Achille, ubi minores duntaxat peragrantur à testudine. Atque his suppositis, ut natura motus localis in particulari exponatur:

Dico I. Motus ille, quo res transeat à loco ad locum distantem, fieri non potest in instanti. *Prob* Quòd alioquin res illa simul deberet existere adæquatè in duabus partibus oppositis; id est, in termino *à quo* & *ad quem*, tum simul in

toto

toto spatio interjecto: ut si granum mihi diceretur moveri in instanti à cœlo in terram, simul esset in cœlo & in terrâ, simulque in toto illo spatio quod cœlo terráque comprehenditur. Repugnaret enim cum instanti indivisibili ut priùs existeret in uno termino, quàm in alio; quia instans indivisibile non habet prius aut posterius. Sic etiam in motu circulari instantaneo *v. g.* firmamenti, singulæ illius partes simul essent in toto illo ambitu, siquidem eo in casu nulla foret successio. Notabis porrò me loqui de motu rei ad locum distantem; ne quæstionem illam metaphysicam hîc attingam, num scilicet Angelus moveatur in instanti ad locum sibi contiguum; ut volunt Thomistæ.

Objic. 1. Ex SS. Patribus, Angeli & corpora gloriosa per donum agilitatis moventur in instanti. ℞. Tunc sumi instans pro tempore brevissimo.

Objic. 2. Potentiæ infinitæ respondere debet possibilis effectus ipsi proportionatus. Ergo potentiæ motrici infinitæ, qualis est Divina, debet respondere motus infinitè velox: ergo instantaneus. ℞. Potentiam ejusmodi esse tantùm ad effectum velociorem & velociorem in infinitum, prout sese Deus ad illum determinare voluerit.

Inst. 1. Ex Arist. 8. *phys.* si daretur virtus naturalis motiva infinita, faceret motum in instanti: ergo illud attribuendum est virtuti Divinæ quæ de facto est infinita. ℞. Hypothesim allatam ab Arist. esse impossibilem, ex quâ nihil sequitur quod absolutè sit possibile: ut aliàs jam monui in Disput. de Infinito.

Inst. 2. Potest egredi à sole illuminatio quæ simul & eodem instanti fiat in singulis mundi

partibus, etiam remotissimis: ergo à pari poterit à Deo fieri motus *v.g.* projectionis, quo feratur lapis in instanti ad spatium aliquod ingens. ℞. Exitum luminis à sole, quo totus orbis simul tempore collustretur, non fieri per motum localem, ita ut quod lumen profunditur ad partes remotiores, priùs extiterit in propinquioribus; cùm accidens hoc pacto nequeat transire à subjecto in subjectum. Res igitur ita se habet, nempe quòd simul tempore sol producat lumen in iis omnibus mundi partibus, sic tamen ut priùs solùm naturâ producat in propinquioribus quàm in remotis; cùm in remotis illud non attingat, nisi propinquis mediantibus.

Notabis tamen rem eandem, putà Angelum, per virtutem Divinam simul instanti reperiri posse in duabus mundi partibus oppositis per reproductionem, sed non per motum localem.

Dico igitur II. Contra Zenonem: sic motus localis fit successivè de loco ad locum determinatum, ut per se loquendo perficiatur finito tempore; ut quidem patet ipsâ experientiâ. Quanquam nihilominus,

Dico III. Per accidens fieri potest motus localis continuus intra spatium aliquod finitum, puta supra lineam pedalem, qui tamen nunquam absolvatur. Quod facilè comprehendi potest attendendo ad figuram 7. primi lateruli. Si enim filum *g. h.* traducatur in infinitum successivè per longitudinem parallelæ *a. b.* novas semper designabit partes, & continuè descendet per lineam pedalem *e. f.* nec tamen unquam ad finem ipsius pervenietur; quia parallela superior illa nunquam potest concurrere cum inferiori; ut jam monui in Disp. de Quantitate. Quod per-

perinde per proportionem observandum est in fig. 8. ejusdem laterculi. Sic etiam fieri potest ut umbra solis à gnomone projecta, quanvis continuè veluti moveatur, non decurrat tamen brevissimum aliquod spatium, nisi post longissimos annos, si maximum circulum cursu lentissimo Sol ipse obeat, &c.

CAP. V. *Motûs localis species variæ.*

INter motus locales alii sunt *per se*, alii autem *per accidens.* Motus *per se* est quando res proprio movetur motu. *Per accidens* verò est, quando movetur solummodo ad motum alterius: quâ ratione partes dicuntur moveri ad motum totius. Ita etiam quis in navi *per se* quiescens, movetur tamen *per accidens* ad motum ipsius navis: item & dicitur moveri *per accidens* ad orientem motu navis, cùm ipse *per se* in eâ navi deambulat versùs occidentem.

Prætereà verò ex motibus alii sunt recti, quando mobile fertur per lineam rectam; alii obliqui, quando per lineam obliquam seu transversam: alii circulares, quando circa aliquod centrum. At ex motibus circularibus alii dicuntur concentrici, quando servant semper æqualem distantiam ab eodem centro; alioquin dicerentur excentrici.

Denique tandem motus isti vel sunt naturales, vel præternaturales, vel violenti, vel mixti ex naturali & violento.

Dico autem I. Naturalis motus ille est qui oritur à principio intrinseco innato & non renitente passo. Qualis est motus deorsum in lapide, ortus à gravitate ipsi naturaliter insitâ. Sicque alius est motus naturalis gravium & levium; alius verò proprius viventium, quem in

animantibus vocant progressivum; unde vel incedendo, vel natando, vel volando, vel rependo alium in locum sese movent.

Notandumque est, motum hunc progressivum fieri partim pulsione, partim attractione, ut docet Arist. Nam ex partibus animalis progredientis aliæ moventur trahendo, aliis quiescentibus & resistentibus, quibus innitantur trahentes. Quamobrem videmus in ipsis quadrupedibus, quemadmodum insistant pedibus duobus, dum aliis duobus fit tractio, unde corpus totum in locum alium transferatur; habentque bipedes ipsæ animantes æquivalentiam cum quadrupedibus, idemque præstant, ubi modò calcibus, modò extremis pedum articulis vicissim insistunt. Nec ille motus caret mistione violenti, ob illam tractionem & pulsionem, nam inde etiam oritur in membris defatigatio; quæ tamen est minor, ubi planum seu solum in quo progredimur, resistit firmiùs, ut patet experientiâ. Hucque attinet quòd membra in animalibus sic aptantur inter se, ut motum ejusmodi exercere possint. At

Not. 2. Principium illius motus esse appetitum, per quem applicantur cæteræ facultates & organa ipsi deservientia. Eumque in finem comparantur præcipuè musculi, tendones, nervi, ac spiritus animales, qui per ipsos nervos & musculos statim à cerebro diffunduntur, ut fiat motus. Alioquin in somno, in paralysi, aliisque id genus affectibus, non potest fieri motus ille; quia spirituum transmissiò impeditur à pituitâ densâ & viscosâ nervos obstruente. Quinetiam inde nascitur defatigatio, cùm illi spiritus exhauriuntur.

Dico II. Motus præternaturalis, ut vulgò ap-

appellant, est quidem à principio extrinseco, sed passo indifferenter se habente, non autem renitente, aut illum exigente. Qualem æstimamus esse motum cœlorum, qui totus est à motricibus Intelligentiis, ut suo loco demonstratur.

Dico III. Motus violentus ille est, qui oritur à principio solùm extrinseco, renitente passo: ut motus sursum in lapide. Multiplexque est motus violenti genus: puta qui fiat vel pulsione, vel tractione, aut vectione, aut volutatione, aut projectione in partes quæ inclinationi mobilis sint contrariæ. Neque hoc loco parùm laborant Philosophi, ut explicent quonam ex principio immediatè prodeat motus rei projectæ; siquidem non oritur à projiciente, postquam ex illius manu excussa est: nihil enim ampliùs influit *v. g.* in lapidem projectum; neque illi per aliquam intermediam virtutem applicatur.

CAP. VI. *Causa immediata motus in projectis.*

Nonnulli causam hujus motus ajunt esse aërem ad projectum confluentem motu vacui, quod alioqui deberet fieri necessariò, dum à projecto unus locus deseritur tendendo ad alium. Sed refellitur, quia ille accessus aëris supponit motum projecti: ergo illum non causat. Deinde quando mobile facto impetu, movetur circulariter, ut rota vel trochus, nullus huic doctrinæ esse locus potest.

Communis ergo sententia est Thomistarum, qui totum istud negotium rejiciunt in aëris condensationem, subitamque ejusdem aëris rarefactionem adversùs ipsum projectum, unde ulteriùs deferatur. Sed ostendo non esse hanc saltem adæquatam causam motus istiusmodi. Primò, quia in eò casu aër magis solet conden-

ſari ad anteriores partes projecti, quàm ad poſteriores, aut ad laterales, unde potiùs deberet retardari motus projecti. Et verò, ſagitta miſſa per aërem, in anteriore ſui parte accenditur, propter condenſationem aëris cui alliditur cum impetu ipſum dividendo; cùm tamen poſteriori in parte ne incaleſcat quidem. Ergo aër plus agit adversùs anteriorem ipſius partem, quàm in poſteriorem: ergo ille impulſus ſagittæ non fit vi aëris condenſati, ſeſe rarefacientis ad poſteriores illius partes. *Conf.* 1. Si ſagitta emittatur per chartam bene tenſam, feretur longè ultra chartam, & quidem magno cum impetu; cùm tamen eo in caſu vix quidquam aëris ad poſteriorem ipſius partem ſeſe rarefaciat. *Conf.* 2. libretur haſta longa 20 pedes, cujus etiam pars poſterior ſit acuminata; feretur certè magno impetu; cùm tamen aër ad ipſius partes poſtremas ſic minimè poſſit affundi, ut per eum magis impellatur; immò potiùs aër ad acumen illud, quod ſupponimus, potiùs divideretur.

Item, hoc ſecundo argumento refellitur allata ſententia. Si rota, vel trochus circulariter contorqueatur, volvaturque etiam maximâ cùm celeritate, ubi tamen prope adjecerimus manum, vix ullam percipiemus aëris commotionem. Immò ſi filum vel leviſſimum applicueris, vix movebitur: ergo illa agitatio rotæ, vel trochi non efficitur ab aëre concitato. Item, ſi quis aërem rotæ, vel trocho circumfuſum in contrariam partem flabello removeat, non deſinet idcirco rota, vel trochus pari celeritate convolvi. Item, dum puer trochum manu excipit, defertque in alium locum; ille tamen eodem modo agitatur. Ergo ille motus trochi ab aëris circumfuſi agitatione non oritur.

Huc

Huc accedunt varia id genus argumenta alia, quibus omnino evincitur falsitas illius sententiæ. Putà, quòd flante vento contrario, quo aër in adversas partes repellatur, ultrò nihilominus feratur sagitta, &c. Quare his præsuppositis,

Dico I. Necesse est motum rei projectæ oriri ab aliquo genere qualitatis ipsi à projiciente impressæ. *Prob.* Quia non potest assignari aliud principium illius motus immediatum. Neque hanc qualitatem negavit Arist. etsi de illâ tacuit, qui de omnibus dicere tam disertè non potuit. Ab aliis autem vocatur *impetus*; qui etiam malleo, vel cuneo impressus, efficit ut fortiùs agat.

Dico autem II. Non ideo negandum esse, quin interdum ad motum istiusmodi simul cum qualitate impresſâ concurrat etiam aëris condensati subita rarefactio. Hinc enim aliqui rationem petunt, cur motus naturalis gravium celerior sit in fine, quàm in initio. Item, os bombardæ thoraci ferreæ nimis propè applicatum, illam propterea non perfodit; quòd tamen præstaret omnino ex majori distantiâ; quia scilicet rarefactio aëris condensati, ad impulsum globuli emissi non parùm confert. Et sic de aliis.

Quæres, cur pila emissa reticulo, fortiùs evibratur, quàm ubi impellitur tabellâ; siquidem tabella plus habet aëris condensati se rarefacientis. ℞. Quia nervi reticuli per ictum pilæ adducti in partem posteriorem, dum statim vi magnâ sese ad pristinum statum reducunt, pilam cum impetu repellunt, eo per proportionem modo, quo sagitta emittitur per chordam arcus, dum sese reducit.

Notandumque est, impetum illum, quanvis in rebus corporeis sit materialis, posse nihilominus

produci ab Angelo; nam Angelus est productivus ad extra non tantùm motus localis, sed præterea etiam & earum qualitatum quæ ad illud genus spectant. Vt explicui in Metaphysicâ de Angelis, *cap.* 2.

CAP. VII. *Solvuntur Objectiones.*

OBjic. 1. Non posset explicari quomodo, & quando produceretur illa qualitas in projecto. ℞. Tunc produci qualitatem illam impressam, quandiu mobile conjunctum est cum projiciente, à quo & ipsum mobile per motum disponitur ad projectionem.

Inst. 1. Si lapis projiciendus tunc habet in se jam productam ejusmodi qualitatem, quandiu manu projicientis, aut fundâ continetur, deberet efficere motum, & vi eripi ex manu, aut ex fundâ. ℞. Tunc illam qualitatem non posse motum efficere, quia nondum determinata est ad motum certam in partem seu lineam efficiendum, cùm de se sit indifferens ad motum quamcunque in partem producendum, nec habeat potiorem rationem unius, quàm alterius.

Inst. 2. Non posset explicari quomodo aut quando ad illum motum certam in partem determinaretur. ℞. Tunc determinari quando laxatur, exitque à projiciente versùs hanc partem, non aliam. Potestque etiam alias in partes determinari, vel obice occurrente, vel ab alio projecto concurrente.

Inst. 3. Nec in motu, nec per motum illa qualitas producitur, aut determinari potest ad certum motum. *Prob.* Quia motus de se non est activus, nec consequenter concurrit ad productionem illius qualitatis, aut ad illius determinationem. ℞. Motum esse saltem conditionem

con-

connaturaliter requisitam ad hoc ut producatur à projiciente illa qualitas, conserveturque. Nam inde illud fit manifestum, quòd interpositâ quiete vel minimâ, desinat omnis impetus; quemadmodum patet experientiâ. Vt ergo illa qualitas non producitur nisi aut per motum, aut cum motu; ita nec potest conservari sine motu.

Inst. 4. Saltem potest illa qualitas à Deo produci sine motu; quid enim implicat? *C.* Quo tamen in casu faceret motum; cùm de se sit effectiva motus. Ergo de se non exigit motum vel prævium, vel concomitantem, unde ad motum efficiendum determinetur. ℞. Eô in statu nullum efficeret motum, dum per motum certam aliquam in partem determinaretur, siquidem de se est indifferens ad quemlibet.

Inst. 5. Non posset explicari quomodo corrumperetur illa qualitas, siquidem contrariè oppositam aliam non habet. ℞. Seipsâ corrumpitur sensim, desinente Deo illam conservare juxta exigentiam ipsius naturalem. Quomodo per proportionem vulgò omnes admittunt de sono, qui est qualitas per medium diffusa. Item, ad interitum illius qualitatis impressæ non parùm confert gravitas naturalis *v. g.* lapidis projecti, quatenus resistit motui violento sibi contrario.

Objic. 2. Lapis sursum projectus non diceretur habere motum violentum, quia esset à principio intrinseco, nempe ab illâ qualitate impressâ. ℞. Sic non foret à principio intrinseco innato seu connaturali, & consequenter non resistente passo: ergo nihilominus sic foret motus violentus.

Inst. 1. Si lapis deorsum cum impetu projicitur, motus ille non erit violentus, etsi foret ab

impresso impetu; quia non fieret renitente passo. C. Diceretur enim tantùm præternaturalis, quia fieret præter exigentiam subjecti.

Inst. 2. Illa qualitas non esset connaturalis ulli subjecto naturali: ergo non posset dici naturalis; cùm tamen omnis qualitas non supernaturalis, debeat saltem dici naturalis: ℞. Dici naturalem, quia producitur à causâ naturali, & per actionem naturalem.

Inst. 3. In evibratâ longiori hastâ produceretur qualitas illa sub minori intensione in partibus remotis, quàm in propinquioribus: sic enim, ut vulgò ajunt, causa omnis naturalis agit uniformiter difformiter: ergo fieri deberet motus tardior in parte remotiori, quàm in propinquâ; quia qualitas minùs intensa, producit effectum minùs perfectum. Quod tamen repugnat; siquidem de facto æqualiter secundùm totam suam longitudinem movetur hasta projecta. ℞. Iam primâ parte hujus physicæ, *Tract.* 2. *Disp.* 4. *cap.* 4. ajebam ex probabiliori sententiâ, quemadmodum agens naturale ad certam distantiam profundat semper qualitatem suam cum æquali intensionis gradu. Quo pacto sonus æquè perfectè auditur, & lumen æquè perfectè percipitur intra certam distantiam. Sed præterea, ℞. Servari motum æqualem secundùm totam hastæ longitudinem; quòd illud exigat partium ejusmodi continuitas; motumque elici à partibus qualitatis quæ sunt majoris intensionis; nec consequenter in illâ circunstantiâ suum effectum producunt partes aliæ. Vbi enim vis est major, non potest retardari à debiliori. Hæc autem afferri possunt ad confirmationem nostræ doctrinæ de actione uniformiter difformi, & illi loco adjici.

CAP.

CAP. VIII. *De motu directo & reflexo.*

AD superiores accedit ista divisio motus localis in *directum* & *reflexum*.

Directus ille est per quem mobile primò & per se tendit ad aliquem terminum. Huicque opponitur *reflexus*, per quem ex occursu corporis alicujus, vel alio tandem modo, mobile illud fertur vel directè ad easdem partes unde processit primò; vel obliquè in alias distantes, juxta quantitatem anguli incidentiæ quem designat in corpore reflectente, quando motus reflexus fit ex occursu corporis reflectentis. Quæstio verò agitari hoc loco solet, utrum necessariò, & quomodo intercedat quies inter utrumq; illum motum.

Dico I. Quando uterque motus ille est à principio intrinseco; semper intercedit quies aliqua. Vt in motu cordis, quo naturaliter dilatatur & constringitur. Quo maxime sensu accipiendus est Arist. cum scribit inter motum directum & reflexum intercedere quietem. Item, & in motu locali, quanvis uterque non sit à principio intrinseco, nihilominus aliunde fit plerumque, ut quietem intermediam habeant directus & reflexus. Puta cùm lapis sursum projicitur, non relabitur deorsum, quin paululùm quieverit; tum propter reliquias impetus adhuc tantisper perseverantis, tum maximè ob resistentiam aëris condensati & rarefacientis sese versùs lapidem illum. Dubium enim non est, quin aër condensatus, ubi maximè est in motu, sustinere aliquod corpus grave possit. Ita si pileus filo, vel acu suspensus rotetur velociter, lapis intra ipsius concavitatem conjectus non decidet. Neque verò etiam in illo motu perpetuo, tam facilè dividi ipse aër potest.

Dico II. Contra Thomistas, non est illud absolutè necessarium, sed accidentale duntaxat ad motum directum & reflexum, ut quietem aliquam intermediam habeant; siquidem possunt de facto nullam habere. *Prob.* Si enim lapis sursum projectus offenderit molem ingentis ponderis aliquam descendentem, unde revocetur deorsum, quis dicat lapidem hunc nihilominus quiescere tantisper saltem, priusquam descendat? sic enim sequeretur ab ipso lapide per aliquod tempus sisti, & immotam contineri in aëre tam ingentis ponderis molem descendentem. Quod per se videtur incredibile; unde enim vim ad id sufficientem haberet?

Objic. Si per quietem aliquam intermediam non discontinuarentur, sequeretur eos non fore nisi eundem continuum motum; Atqui falsum consequens; quia singuli habent proprios sibi terminos à quo & ad quem. Ergo sunt duo realiter distincti motus. ℞. 1. Sic nihilominus posse dici eundem continuum motum, virtualiter duplicem, ob multiplices illos terminos. ℞. 2. Etsi dicantur esse duo motus realiter distincti, non sequeretur idcirco fuisse intermediam quietem: possunt enim duo motus realiter distincti, sic esse ad invicem conjuncti immediatè; quomodo per proportionem duo plana immediatè conjungi possunt ad invicem. Quare in istâ hypothesi, immediatè post terminationem motus directi, consequetur motus reflexus.

Inst. 1. Mobile dum attingit corpus reflectens, necesse est ut cum eo coëxistat, vel per aliquod tempus: ac proinde sic quiescet: vel per aliquod duntaxat instans indivisibile; cujusmodi nullum esse posteà ostendetur. ℞. 1. Cum illo corpore reflectente coëxistere quidem, sed

tan-

tantùm succeffivè, non autem permanenter. ℟. 2. Coëxistentiam illam esse quidem per partem temporis divisibilem; sed indivisibiliter tantùm, non autem divisibiliter. Vel si lubet, cum eo coëxistit per indivisibile quidem temporis, sed virtuale tantùm, non autem reale. Quo pacto per proportionem cùm duæ regulæ rectæ simul junguntur ad aliquod centrum, moveturque una, immotâ alterâ; tunc in illo motu successivo, per instans aliquod virtuale fit unius ad alteram tum perpendicularitas, tum parallelismus, quæ non suscipiunt magis & minùs, unde necesse est ut hæc fieri non possint nisi in aliquo instanti, saltem virtuali.

Inst. 2. Mobile in illo instanti est sine motu; siquidem in instanti non est motus: ergo sic saltem quiescit. *N. Cons.* Quia non est quies in instanti. ℟. 2. *Dist. Ant.* In illo instanti est sine motu realiter. *N.* Etsi conceditur tunc esse virtualiter sine motu, quatenus in eo casu præstatur illud, quod fieret per instans aliquod reale, si daretur de facto.

Inst. 3. Quando pila reflectitur à pariete, in eo priùs quiescit, etsi per aëris intercepti subitam rarefactionem in occursu repellatur. *Prob. Ant.* Quia pila in pariete producit non modò albedinem, sed etiam calorem, & quidem intensum; quod fieri non potest nisi in tempore. ℟. Etsi dicatur quiescere, nihil contra nos, qui non negamus posse admitti quietem intermediam. At ℟. 2. Quanvis non quiesceret, calor ille non producitur nisi ex adhæsione aëris qui per pilam ad parietem atteritur. Albescit autem paries ex particulis cretæ quas relinquit pila. Cur autem globulus plumbeus à bombardâ in parietem explosus, non reflectatur sæpe; ratio est,

quia plumbum magnâ ex parte sic liquefactum & emollitum impedit sufficientem aëris elisi rarefactionem, unde repellatur; qualis *v. g.* est aëris rarefactio, dum malleus ex incude resilit, &c.

CAP. IX. *Motûs localis proprietates.*

D*ico* I. Velocitas & tarditas sunt motus proprietates. Hæc porrò in motu locali explicantur per coëxistentiam successivam mobilis ad plures, aut pauciores partes spatii per longius, aut brevius tempus. Quare motus ille dicitur *velox*; quò plures partes spatii brevi tempore; *tardus* autem, quò pauciores longiori decurruntur. *Prob.* Quia hæc sufficiunt ad velocitatem, aut tarditatem istiusmodi explicandam.

Objic. Duo motus in spatio æquali habent partes æquales, quanvis fiant tempore inæquali, quia plures non habent partes quàm spatium decursum. *Trans.* Ergo sic forent æquales seu æqualis velocitatis. *N. Conf.* Quia velocitas aut tarditas non petitur præcisè & absolutè ex eo quòd motus tot vel tot partes habeat, sed potiùs quòd tot habeat respectivè ad tale tempus. Nihilque est entitativè & secundùm intrinsecum in unô motu, unde velocior dicatur, aut tardior; sed tantùm est aliquid relativè & secundùm extrinsecum; nempe secundùm tempus quod connotatur.

Notandumque est 1. Motum naturalem gravium esse velociorem ad finem, quàm initio: non tantum quia, ut alii volunt, plus aëris per suam rarefactionem impellentis, semper affluit ad partes posteriores mobilis; sed maximè quòd aër celerius moveatur versùs eam partem ad quam tendit mobile. Et verò, si mobile faciliùs defertur per medium quiescens, quàm si opposi-

tas

tas in partes agitaretur; illud à fortiori contingit in medio versùs easdem partes commoto. Quo pacto cymba flumine secundo longè facilius navigat, quàm adverso, aut etiam quiescente.

Not. 2. Motum projectorum velociorem esse aliquantò post initium, quàm initio; ut habet Arist. 2. *De Cœlo.* Patetque experientiâ. Quamobrem tormenta bellica proximè admota, minus vehementer impetunt, quàm certâ ex distantiâ majori. Ratio est, quia plus aëris ac magis ordinatè posteà confluit ad globum emissum. Et quanvis minor sit impulsus in aëre, quàm in projecto, potest nihilominus augere impetum projecti: quia plures virtutes conjunctæ per modum unius agentis totalis fortius agunt; quanvis aliæ ex istis sint minores. Item, res in motu, etiam à virtute minori facilius moveri potest, quàm immota: quia motus videtur quasi ligare gravitatem corporum. Quâ ratione videmus campanas majores, primò quidem difficilius incitari, ubi autem sunt in motu, longè facilius, & ab aëre commoto, vel ab aliâ minori potentiâ agitari.

Not. 3. Motus progressivus animalium solet esse velocior in medio, quàm ad initium, aut ad finem. Quia initio major copia spirituum illorum qui motui necessarii sunt, confluit ad musculos; at exhauriuntur tandem in fine.

Dico II. Inter motus locales perfectissimus est circularis, ob admirabiles ipsius proprietates. Primò enim hoc habet sibi proprium, quòd eodem in loco adæquato fiat, nec mobile exigat majus seipso spatium. 2. Ex propriâ dispositione, & de se, perpetuus esse potest. Quod motui recto non competit; siquidem omne spatium existens, per eum tandem decurri potest. 3. Illud

maximè

maximè in circulari motu est mirabile, quòd partes majorem & majorem habeant velocitatem, eâ proportione, quâ recedunt ab axe, seu à centro, unde & aptior est ad multa præstanda opera mechanica, ut trademus suo loco.

Notandum præterea est, *ex figura* 8. *secundi laterculi*; duas rotas inæqualis magnitudinis, si tamen eodem in axe defiguntur, æqualem in plano describere lineam, & æquale iter eodem temporis spatio; quanvis minorem lineam describat minor circulus, si separatus fuerit. Cujus quidem rei ratio aliunde peti non potest, quàm ex mistione motus recti & circularis in eodem ejusmodi circulo. Sic enim ubi volvitur, simul trahitur in transversum per lineam rectam, ut cuilibet consideranti satis patet.

DISPVTATIO V.

DE DVRATIONE.

CAP. I. *Natura Durationis in communi.*

DVratio alio nomine apud Aristotelem vocatur *Quando*, constituitque speciale prædicamentum. Nam substantiæ novam infert denominationem, per quam scilicet denominatur *durans*. Formam autem hujusmodi unde res creata denominatur *durans*, volunt multi ex modistis cum D. Bonaventurâ, esse modalem aliquam entitatem successivam realiter distinctam à re durante, eo per proportionem modo, quo statuunt existere aliquod *ubi* internum fluens realiter distinctum ab eâ re quæ movetur localiter. Verùm ex communiori sententiâ juxta Arist. cum D. Th. & omnibus Peripateticis,

Dico

Dico I. Duratio aliud nihil est, quàm permanentia ipsius rei in suo *esse*. Quòd enim res existat, plusquam per instans, hoc ipso intelligitur durare; nec præterea opus est aliquâ modali entitate superadditâ. *Conf.* Quia nihil repugnat rem conservari à Deo sine illo accidente superaddito; quemadmodum per proportionem ajebamus de *ubi interno* realiter distincto, quod supponunt adversarii. Quo in casu potuisset res aliqua conservari à Deo jam inde ab ipsâ mundi creatione usque ad extremum judicii diem, nec tamen diceretur *durasse*: quod per se videtur absurdum.

Dico autem II. Duratio vel sumitur *absolutè*: quo pacto definitur permanentia rei in suo *esse*. Vel 2. sumitur *connotativè*, seu respectivè: tunc verò definitur, rei coëxistentia cum tempore, vel reali, vel virtuali; aut cum tali æternitatis parte virtuali.

Notabis enim nos hîc loqui per proportionem ad ea quæ de loco reali aut virtuali, tum de virtuali Divinæ immensitatis parte exposuimus suprà, *Disput.* 3. Sic enim aliud est tempus *reale*, seu duratio motus realiter existentis: aliud autem est tempus duntaxat *virtuale*; quod quidem etsi non existat actu & realiter, æquivalet tamen durationi temporis realis & actu existentis.

Porrò, contra id quod asserimus durationem non esse modalem aliquam entitatem creaturæ duranti superadditam,

Objic. 1. Quod advenit rei existenti, ab eâ distinguitur nemine cogitante & realiter. Atqui talis est *duratio*. Nam præsupponit rei existentiam; siquidem nulla res dicitur durare, seu permanere in *esse*, nisi in eâ præsupponatur *esse*.

Dist.

Dist. Ma. Quod rei existenti advenit intrinsecè & entitativè, seu secundum aliquam realitatem, ab eâ distinguitur realiter. *C.* Quod advenit tantum denominativè, & ratione connotati extrinseci. *N.* Sic autem res non denominatur durans, nisi connotando sui præexistentiam, seu coëxistentiam ad tempus.

Inst. 1. Homo *v. g.* in instanti suæ productionis, seu pro priori in quo incipit existere, nondum habet durationem : ergo illi posteà advenit. *Dist. Ant.* Nondum habet durationem *entitativè*, aut defectu intrinseci. *N.* Sed tantum illam nondum habet *denominativè*, defectu connotati extrinseci, seu defectu præexistentiæ. Quo pacto conservatio præsupponit primum esse rei, quod habetur per creationem; non tamen idcirco distinguitur realiter ab ipsâ creatione : ut aliàs monui.

Inst. 2. Si tantum res existeret per instans, esset realiter sine duratione : ergo duratio ab eâ distinguitur realiter. *Dist. Ant.* Esset sine duratione tantum denominativè, defectu extrinseci. Deinde ℞. 2. Nulla res potest existere per solum reale instans indivisibile : ut dicam posteà.

Objic. 2. Talis rei existentia non dicit connexionem aliquam necessariam cum tali tempore, aut cum tali parte virtuali æternitatis Divinæ; habetque de se indifferentiam ut illi vel coëxistat, vel non coëxistat. Tam enim Adamus *v.g.* potuit modò existere, quàm initio mundi *C.* Ergo prætereà debet illi aliquid superaddi realiter, unde ad hoc potiùs, quàm ad aliud tempus determinetur; & unde potiùs dicatur existens in isto tempore, quàm in alio. ℞. 1. Ad istud non requiri necessariò ut addatur aliquid realiter secundùm novam realitatem; satis enim est ut addatur

datur secundum novam formalitatem relativam ad hoc tempus, vel hanc virtualem æternitatis partem; diciturque ista determinatio formalis. At ℞. 2. Determinari efficienter per actionem ipsius rei productivam in hoc tempore, non autem in alio. Nec fieri potest ut res ita producta in hoc tempore, non coëxistat huic tempori, sublatâ omni aliâ formâ realiter superadditâ.

Inst. Actio hujus rei creativa, de se indifferens est ad hoc, vel ad aliud tempus: ergo aliquid debet rei superaddi, ut determinetur ad hoc vel ad illud tempus. ℞. Volitionem per quam Deus se determinat ad creandum aliquid hoc tempore, non potest non esse productiva rei pro hoc tempore. Sicque res producta, est consequenter determinata ad existendum pro hoc tempore: nec potest hoc modo res producta, non esse ad hoc tempus determinata. Vnde etiam inferre licet, quàm frustra sit *durationis* modus realiter superadditus.

Objic. 3. Duratio est extensio existentiæ ad multas partes temporis. Ergo est distincta realiter ab illa existentiâ, saltem in rebus permanentibus, puta in Angelo, lapide, &c. Siquidem ejusmodi existentia habet totum indivisibiliter suum esse simul, non autem per partes alias post alias, quales habet duratio, ut inquit D. Bonav. ℞. Nego durationem esse propriè extensionem, sed impropriè tantum, quatenus res eadem tota simul & indivisibiliter existens, coëxistit tamen pluribus temporis partibus. Quomodo per proportionem idem aliquod lignum in aquâ immobiliter defixum, successivè nihilominus respondet & coëxistit pluribus aquæ præterfluentis partibus. Neque verò etiam quòd res dica-

tur

tur aut priùs, aut longiùs durasse, hoc habet tantùm ratione intrinseci, sed potiùs ratione connotati extrinseci, nempe quòd vel prioribus, vel pluribus temporis partibus coëxtiterit.

Objic. 4. Duratio motus distinguitur realiter ab ipso motu: ergo & ab aliâ re qualibet. *Prob. Ant.* Quia motus iisdem ex partibus constans, qui nimirum sit per idem spatium, potest nihilominus esse diversæ durationis: nam ex duobus ejusmodi motibus alter erit velocior, tardior verò alter. Ergo *duratio* non est idem realiter cum motu: alioquin ubi sunt æquales partes motus, ibi forent & partes æquales durationis. *Dist.* Vbi sunt æquales partes motus cum æquali morâ, seu perseverantiâ in *esse*; id est, cum æquali coëxistentiâ, seu ordine eodem ad tempus quod supponitur esse mensura communis illarum durationum; tunc sunt æquales durationes. *C.* Sin mora fuerit brevior, id est, si æquales illæ partes motus coëxtiterunt paucioribus partibus temporis, ob majorem earum veluti compressionem, ex majori applicatione virtutis motivæ; tunc dicetur motus inæqualis durationis, & velocior. Nihil enim aliud est duratio motus, quàm mora & permanentia ipsius esse, seu coëxistentia ad tale tempus, quod supponitur esse regula & mensura communis aliarum durationum; quemadmodum posteà explicaturus sum.

Inst. Potest idem numero motus reproduci, non autem idem numero tempus: ergo distinguuntur inter se realiter. Ita plerique ex adversariis. At ℟. Neque hunc motum, nec tempus habere propriam producibilitatem, cùm propriam non habeant entitatem, & distinctam ab entitate subjecti. Verùm, quocunque modo se se

ista

ista habeant. ℞. 2. Nec motum, nec tempus numero idem posse reproduci; siquidem unitas motus ab unitate numericâ temporis, unitas autem numerica temporis petitur ab unitate numericâ talis temporis imaginarii, aut à tali virtuali æternitatis parte quæ suo modo ita præteriit, ut reditus ad illam nullus esse possit. Quo sensu vulgò ajunt *ad præteritum nullam esse potentiam.* Et verò, si posset Deus reproducere diem hesternum, posset conservare & hodiernum, ita ut nunquam præteriret; ac proinde possem æque diu vivere ac Mathusalem, nec tamen plures haberem annos, quàm nunc habeo, &c.

Objic. 4. Nisi duratio esset modus aliquis à re durante realiter distinctus, isque successivus, non posset Angelus *v. g.* absolutè saltem, & sublato omni motu externo, cognoscere suam durationem, seu quantùm durasset. Ergo in eo debet admitti modus aliquis durationis successivus, cujus quidem cùm partes vel tantas, vel tantas effluxisse videat, judicat se tandiu, vel tandiu extitisse. *Conf.* Quia neque alioqui suam durationem posset mensurare per tempus externum; illud enim quod est successivum, non potest mensurare ens indivisibiliter permanens: siquidem mensura & mensurabile debent esse homogenea, seu generis ejusdem: quomodo pondus non mensuratur nisi pondere; nec longitudo nisi longitudine: ergo à pari nec potest mensurari à quantitate successivâ nisi successivum. ℞. Solvetur hæc difficultas capite sequenti, Assert. 4.

CAP. II. *Durationis species diversæ, tum præcipuè de Tempore.*

CUm duratio aliud nihil sit quàm permanentia rei in suo *esse*, sive permanenti, sive suc-

successivo; nec ab ipso *esse* rei distinguatur; vulgò durationem dividunt in eam quæ est entis permanentis, & in eam quæ est entis successivi. Ipsam verò entis permanentis durationem docent esse tum *æternitatem* simpliciter dictam, tum *ævum*, seu *æternitatem*: Quæ autem est continua & successiva motus duratio, propriè appellatur *Tempus*.

Porrò, ut ne sit quæstio solùm de nomine, paucis in hunc modum complector omne durationis genus. Ac primò quidem alia est initio & fine carens, quæ dicitur simpliciter *æternitas*: alia est habens initium sui, sed fine caret, ut duratio Angeli, animæ rationalis, rerumque aliarum ejusmodi ex naturâ suâ incorruptibilium; vocaturque *ævum*, seu *æternitas* secundum quid: quo sensu beatitudo sanctorum, ac reproborum damnatio dicitur *æterna*. Duratio motus, ut jam monui, ea est quæ propriè appellatur *Tempus*. Quanquam & illa etiam vulgò dicuntur habere durationem *temporaneam*, quæ habent tum initium sui, tum finem, quòd illa duratio soleat tempore mensurari: qualis est duratio rerum earum quæ quotidiè in hoc sublunari mundo generantur ac intereunt. Atque ut hoc loco maximè agamus de Tempore: Quàm sit difficile naturam illius explicare, satis insinuabat D. Aug. in Confess. ubi sic legimus: *Quærenti à me quid sit Tempus, scio; si autem quærenti explicare velim, nescio.* Hoc tamen ut præstem:

Dico I. Tempus propriè & in se, aliud nihil est, ut jam monui, quàm ipsa motus duratio continua & successiva. Quamobrem tam certum est Tempus actu & realiter existere, quàm constat motum esse quid reale actu. Et verò cum *Apoc.* 1. legimus jurasse Angelum non amplius futurum

esse

esse tempus, supponebat fuisse priùs actu. Ita *Gen.* 1. dicuntur fuisse facta cœli luminaria, *ut essent in tempora, & dies, & annos.*

Præterea verò tempus ab Arist. sic definitur 4.Phys. c.11. *Est numerus motus secundùm prius & posterius.* Id est, numerus seu extensio partium priorum & posteriorum quæ sunt in motu. Nam in motu aliæ sunt partes quæ dicuntur subjectivæ, prout nimirum simul recipiuntur in diversis subjecti partibus, puta in lapide, cujus partes omnes simul moventur. At ille motus non intelligitur durare, nisi quatenus habet multas ejusmodi subjectivas partes alias post alias; seu priores & posteriores. Quam ob causam *duratio* in motu idem est ac partium illarum continua successio, & quatenus in suo illo *esse* continuo & successivo perseverat. Sicque

Not. 1. Tempus esse quantitatem quandam successivam, cujus partes non existant nisi in fluxu continuo, nec uniantur inter se nisi unione fluenti, non autem unione permanenti, uti accidit in partibus continui permanentis. Neque verò in allatâ definitione Aristoteles sumebat *numerum* pro quantitate discretâ, sed eo nomine est usus ad designandam multitudinem partium successivarum per quas motus existit, & in suo *esse* perdurat. At

Not. 2. Illas easdem partes dividi præterea in præteritas, præsentes & futuras. Quæ tamen denominatio præteriti & futuri non est absoluta, sed potiùs relativa; quia nihil est præteritum aut futurum, nisi comparativè ad præsens. Item

Not. 3. Tò *Numerum*, in definitione Aristotelicâ, sumi etiam pro *mensurâ*, sive *passivâ*, per quam res aliqua intelligitur esse mensurabilis, sive pro *activâ*, per quam res aliæ mensurantur.

rantur. Potest enim duratio mensurari, ut sciatur quanta fuerit; tum eriam potest assumi ad alias durationes mensurandas. Sed

Notabis tempus non esse mensuram motus illius, cujus est duratio: quia nulla res est mensura sui ipsius; tum quia mensura sumitur ut medium ad cognoscendum id quod mensuratur; nos autem, ut loquitur Suarez, non cognoscimus quantùm duret actio per propriam & intrinsecam ejus durationem, sed comparando illam cum aliâ distinctâ duratione cujus quantitas nobis notior est. Quare hoc loco distinguendum erit inter tempus *internum*, & tempus *externum*. Tempus internum, seu duratio interna motus, est id quo motus mensuratur secundùm partes priores & posteriores. At Tempus externum est duratio motus rei distinctæ, per quam aliæ id genus durationes mensurantur. Atque ita ex communi consuetudine, duratio motus cœlestis, ac præcipuè solaris, dicitur Tempus quo utimur tanquam mensurâ quâdam ad mensurandas, ac designandas alias durationes. Quanquam

Not. 5. Motus illius solaris duratio priùs à nobis per intellectum distinguenda est varias in partes certis comprehensas limitibus, puta in dies & in horas, tum in menses, annos, &c. Posteà verò per operationem intellectus comparativam, debent illæ partes applicari aliarum rerum durationibus quas dimetiri volumus. Eamque ob causam Arist. *lib.* 4. *Phys.* scribit, sublato intellectu non foret tempus ullum, non quidem in ratione absolutâ temporis, sed in ratione mensuræ activæ ad metiendas rerum aliarum durationes. Vnde brutis animantibus, tum iis qui sunt prorsus mente capti, ac dormientibus nihil durat, seu potiùs nihil videtur

tur durare, quia scilicet rebus illis non intendunt: estque hujus rei exemplum illustre in septem dormientibus. Item, hinc petitur etiam ratio cur iis non durent dies, qui re aliquâ vehementiùs delectantur: contrà autem cur iis mora videatur longior, qui boni alicujus desiderio tenentur, aut aliquâ animi ægritudine laborant. Atque his positis;

Dico II. Tempora quidem particularia esse varia pro diversitate ac multiplicitate motuum particularium; qui singuli propriam habent suam durationem, seu *Tempus.* At præterea

Dico III. Aliud esse tempus externum, quod dicitur *unum commune & universale*, quo omnes uti solent, veluti mensurâ quadam extrinsecâ ad alias durationes metiendas. Illud autem est duratio motus cœlestis, ac præcipuè solaris. Primò, quia, ut ex Arist. loquitur D. Thomas, *est Tempus ubique existens, idemque apud omnes, & omnia ambiens.* Ideoque facilè ab omnibus cognoscitur. 2. Quia facilè à nobis dividitur in annos, menses, dies, & horas. 3. Quia est maximè æquabilis & uniformis, &c. Quare quotiescunque de alicujus actionis, aut alicujus particularis motus duratione judicare volumus, illam comparamus cum motu cœli. Et verò etiam motu horologii, aliisque id genus instrumentis, tanquam extrinsecis aliarum durationum mensuris non utimur, nisi ut priùs per motum cœli mensuratis, aut veluti signis illius. Quanquam

Notabis, quòd, quemadmodum cum spatio reali, supponitur aliud spatium imaginarium virtualiter reale de se absolutè necessarium; aut virtualis pars aliqua Divinæ immensitatis cui coexistit: ita per proportionem, præter illud

universale tempus externum reale, supponitur & tempus imaginarium quoddam virtualiter reale, quasi ab æternitate necessario fluens; nec non etiam Divinæ ipsius æternitatis partes virtuales supponuntur, quibus coëxistit: Quamobrem ratione illius temporis imaginarii virtualiter realis, vulgò ajunt mundum creari potuisse multis ante annis quàm de facto sit creatus: Item, cœlo immoto, diceremus nihilominus ex rebus istis sublunaribus alias eodem, alias diversis existere temporibus. Sic enim ajebat D. Aug. in Confess. lib. 11. c. 23. *Cùm Sol stetisset voto Iosué, ut victor prælium perageret; Sol stabat, sed tempus ibat: per suum quippe spatium temporis quod ei sufficeret, pugna illa gesta est.*

Dico IV. Possunt per ejusmodi externum tempus mensurari durationes etiam entium permanentium. Sic enim homo *v. g.* aut Angelus dicitur jam durasse tot annos, quia tanto tempori coextitit. Neque verò etiam duratio Angelica *v. g.* potest absolutè ex se, aut in se cognosci; sed tantùm cum habitudine quadam coexistentiæ ad durationem successivam, saltem imaginariam, non tanquam per mensuram ejus, sed ut per terminum coexistentiæ, ratione cujus concipitur instar *quanti* cujusdam: Quemadmodum scribit Suarez.

Nec dicas; Tempus non est mensura homogenea cum duratione indivisibiliter permanente, qualis est Angelica. *C.* Ergo illi mensurandæ non est idonea; ut in fine superioris capitis objiciebatur. *N. Conf.* Distinguo enim inter mensuram, quæ per simplicem applicationem mensurat: quo in casu, mensura & mensuratum debent esse homogenea. Hoc autem non est necesse ubi applicatur cum ratiocinio saltem virtuali:

tuali : ut quando judico me tot annos vixisse, quia tot cœli revolutionibus coextiti.

CAP. III. *De existentiâ, & continuatione partium in tempore.*

S*Vppono* motum & tempus esse quædam genera quantitatis continuæ successivæ, cùm habeant aliquam extensionem & divisibilitatem in partes, easque priores & posteriores, seu præteritas, præsentes & futuras. Nec tamen aut motus localis à mobili; aut tempus ab ipso motu distinguitur entitativè. At quomodocunque ista res sese habeat:

Dico I. Tempus non constat ex instantibus indivisibilibus. *Prob.* Quia non potest magis constare ex indivisibilibus, quàm motus; cùm aliud nihil sit quàm duratio ipsius motus, seu permanentia in *esse*, quam habet motus: Atqui motus non constat ex indivisibilibus. *Prob.* Quia motus non magis constat ex indivisibilibus, quàm magnitudo, seu latitudo spatii à quâ habet extensionem: nam *esse* localis motus aliud nihil est, quàm continua & successiva coexistentia ad partes spatii quod decurritur: atqui supponimus spatium non posse constare ex indivisibilibus.

Item, quemadmodum in continuo permanente, inextensum additum inextenso non potest facere extensum; ita neque in continuo successivo instans indivisibile additum alteri instanti indivisibili. *Negant paritatem.* Quia in continuo permanente partes ipsius constitutivæ sunt simul: at in successivo unum succedit alteri; atque ita ambo faciunt magis extensum, unde dicatur longum tempus. *Contrà autem est.* Quia perinde uniri inter se debent in continuo

succeſſivo, atque hoc modo facere extenſum continuum; ergo ſic indiviſibile uniretur indiviſibili faciendo extenſum; quod repugnat; uti jam oſtendimus *in hoc Tract. Diſp.* 1. *c.*3. Nec poteſt explicari quemadmodum *inſtans* additum tempori, efficiat tempus illud longius: cùm *inſtans* nullius ſit longitudinis.

Item, ſi diceretur tempus conſtare ex indiviſibilibus, ſequeretur inde motum velocem eſſe cum tardo æqualem. Quod quidem ut probem; ſuppono motum perinde conſtare debere ex indiviſibilibus, ſiquidem, ut volunt adverſarii, hoc poſtulat natura continui ſucceſſivi. Et verò, pars diviſibilis ſeu continua motus non poteſt tota coëxiſtere alicui ſolùm inſtanti temporis; ſic enim ſuperiori Diſput. c.4. oſtendimus non poſſe fieri motum in inſtanti, quòd mobile ſimul exiſteret in duabus oppoſitis partibus, tum in medio interjecto: quod repugnat. His ergo ſuppoſitis, ſic argumentor. Quo inſtanti primum indiviſibile ſui motus perficeret Achilles, ſuum etiam compleret teſtudo lentigrada: non enim Achilles tunc poſſet aut plura indiviſibilia ſpatii, per plura indiviſibilia ſui motus percurrere; quia faceret motum à loco ad locum in inſtanti; nec teſtudo lentigrada poſſet eo inſtanti temporis partem ſolùm aliquam ſui indiviſibilis illius abſolvere; quia indiviſibile partes non habet; idemque de aliis partibus motus eſſet ſentiendum. Ergo par eſſet motus velox Achillis, cum tardo teſtudinis proprio; quod repugnat. Sic enim perinde poſſet adæquari breve tempus cum longo, ſeu pars cum ſuo toto, &c.

Dico igitur II. Motum & tempus non conſtare niſi ex partibus continuis, & in infinitum divi-

divisibilibus, quemadmodum per proportionem ostendimus de quantitate permanente. Neque verò etiam perinde motus & tempus habent ulla indivisibilia sive continuantia, sive terminantia, nisi virtualia. At

Not. 1. Hoc esse essentiale partibus continui successivi, ut simul esse non possint ullæ, sed tantùm aliæ post alias. Quâ ratione annus *v. g.* aut mensis non constat nisi ex partibus *fluenter*, seu *successivè*, non autem *permanenter* existentibus. Item, nec continuantur, seu uniuntur inter se unione permanenti, sed tantùm fluenti & successivâ. Neque verò etiam in ejusmodi continuo, perinde ac in permanenti, partes inter se distinguuntur actu, sed tantùm potentiâ. Item,

Not. 2. Eam esse naturam entis successivi, ut dicantur partes in eo existere, etsi ratione sui præcisè aut ampliùs non sint, ut partes præteritæ; aut nondum sint, ut partes futuræ. Ita annus *v. g.* cùm sit totum quoddam successivum conflatum ex mensibus, ex diebus, ex horis & momentis, tanquam ex partibus integrantibus & sui constitutivis; nec ab iis collectivè sumptis distinguatur ullo modo; inde consequens est non posse absque illis existere: & tamen nullas habet simul, sed tantùm alias post alias; nec ratione sui præcisè existunt præteritæ, aut futuræ, dum existit præsens, cui suo modo, id est, successivè, continuantur: ergo necesse est ut partes eo in casu existant saltem ratione totius, tum ratione partis præsentis, cum quâ unum continuum constituunt. Item ex dictis

Not. 3. Esse in tempore *præsens* quod solet exprimi per particulam *nunc.* Sic enim dicimur nunc vivere, loqui, &c. cùm ista sint non præteri-

ti, aut futuri temporis, sed præsentis. Et verò si nullum diceretur esse præsens; non esset consequenter aut præteritum, aut futurum: siquidem præteritum aliud nihil est, nisi quod fuit aliquando præsens, & *esse* desiit; &c. At

Not. 4. Nullum debere admitti *præsens*, seu Tò *nunc*, quod sit realiter ac formaliter indivisibile: quandoquidem tempus non constat ex instantibus indivisibilibus: ac proinde nullum esse *nunc*, nisi *nunc temporis* extensum & divisibile in partes alias post alias; cujusmodi est nunc temporis vel horarii, vel menstrui, vel annui. Sic enim solet dici vel minutum, vel hora, vel mensis, vel annus præsens; aut etiam præsens tempus humanæ mortalitatis, ab Adamo usque ad extremum judicii diem.

CAP. IV. *Solvuntur objectiones. Ubi de inceptione & desitione rei tum permanentis, tum successivæ.*

OBjic. 1. Ex D. August. *In Confess.* præsens in tempore nullo spatio tenditur. Quem etiam loquendi modum videtur sequi Aristot. Ergo sic datur instans temporis reale & formale. ℞. Ab iis sumi instans, non physicè, sed moraliter, seu ex communi hominum æstimatione, pro brevissimo temporis spatio.

Inst. 1. Multa sunt quæ fiunt in instanti. Ergo datur instans reale & formale temporis, cui rerum illarum productio respondeat. *Prob. Ant.* Sic enim Angelus *v. g.* creatur in instanti indivisibili: siquidem non creatur per partes, aut successivè, cùm partes sui non habeat hoc modo producibiles. Ergo sic dabitur instans reale creationis Angelicæ: ne quid dicam de intellectionis actu, de instantaneâ luminis productione,

ne, aliisque id genus. ℞. Creationem Angeli, seu primum ipsius *esse*, fieri quidem in instanti; sic tamen ut consequenter aliquandiu conservetur; neque ex hypothesi illius creationis, non possit non conservari. Alioquin ex successione immediatâ indivisibilium ejusmodi, posset constitui duratio temporis continuo & successivo commensurabilis: hoc autem repugnat, nam ex doctrinâ capitis superioris, tempus est divisibile in infinitum, & nunquam usque ad indivisibile: ergo ejus duratio non potest conflari ex indivisibilibus, aut ipsi commensurari successio aliqua indivisibilium realium, seu realiter & entitativè distinctorum. Necesse est igitur ut quæ res secundùm aliquam entitatem producitur, aliquandiu saltem in suo *esse* conservetur, sicque participet Divinam æternitatem, quomodo pro suâ qualicunque extensione participat Divinam ipsam immensitatem, &c.

Inst. 2. Intellectionis actus *v.g.* non est nisi quando fit; quia non habet esse suum nisi in fieri. *C.* Atqui fit tantùm in instanti: ergo est tantùm in instanti. *Dist. min.* Fit tantùm in instanti, & prætereà non conservatur, sicut dixi de Angelo. *N.* Fit & conservatur. *C.*

Inst. 3. Deus potest rem omnem creatam pro eo omni tempore in quo existit annihilare. Non enim conservatur à Deo nisi liberè; siquidem, pro eâ omni parte temporis in quâ existit, est sub libero Dei dominio. Ergo sic potest res creata existere solùm per instans, cui succedat immediatè aliud, & aliud simile instans reale, &c. ℞. Rem creatam posse à Deo annihilari pro eâ omni parte distributivè sumptâ, non autem pro omni collectivè sumptâ. Neque illa necessitas conservandæ creaturæ ad aliquod

tempus pugnat cum libero Dei Dominio, quia est tantùm consequens ad liberum ipsius decretum de condendâ illâ creaturâ.

Inst. 4. Multa sunt instantanea in fieri, quæ in suo esse non conservantur: ergo necesse est illa existere per solum instans. *Prob. Ant.* Descriptâ jam superiori in Disput. hypothesi, de regulâ rectâ quæ moveatur circulariter circa alteram immotam. Nam eo in motu fit modò parallela, modò perpendicularis rectæ illi alteri: neque per hunc motum istiusmodi parallelismus aut perpendicularitas potest existere nisi per instans: quia perpendicularitas & parallelismus non suscipiunt magis & minus. Ergo sic datur *instans rei* sine ipsius conservatione. ℞. Istud non esse *instans rei* secundùm aliquam entitatem quæ per solum aliquod instans existat; quia nec motus, nec tempus est ens aliquod propriâ entitate; sed tantùm est instans virtuale quoddam, & virtualem duntaxat habens distinctionem; nec tempori coexistit nisi *incommensurabiliter*. Quemadmodum prima Angeli creatio, seu inceptio non est nisi in instanti virtuali, nec distinguitur nisi virtualiter ab ipsius Angeli conservatione. Ita in quantitate permanenti, ex communi sententiâ, superficies non est nisi virtuale indivisibile, cum solâ virtuali distinctione. Quod etiam diximus de lineâ, & de puncto, ubi sermo erat de contactu globi.

Objic. 1. Quicquid existit temporis, illud nunc est, seu præsens est: neque enim existit aut præteritum, cum ampliùs non sit, aut futurum, cùm nondum sit. At quicquid ex tempore præsens est, illud est indivisibile instans. Ergo quicquid existit temporis, illud est indivisibile instans;

ſtans; ac proinde tempus non exiſtit niſi per inſtantia indiviſibilia, quæ ſint partes illius conſtitutivæ. *Prob. min.* Quia quicquid exiſtit temporis debet eſſe aliquid totum ſimul: ergo eſt inſtans indiviſibile. Quia pars ſucceſſiva non poteſt eſſe tota ſimul, ſiquidem illa non eſt diviſibilis niſi in partes priores & poſteriores. ℞. *Nunc* temporis quod exiſtit, eſſe illius temporis partem ſucceſſivam, puta aut horam, aut diem, aut annum ſucceſſivè & fluenter exiſtentem; nec tempus exiſtere niſi per ejuſmodi partes ſucceſſivè & fluenter exiſtentes.

Inſt. Nunc illud *diviſibile* non habet niſi partes priores & poſteriores, ſeu præteritas & futuras: ergo jam diceretur exiſtere tum præteritum, tum præſens, tum futurum. ℞. *Nunc* illud hujus aut anni, aut diei, aut horæ, &c. non continere quidem niſi partes priores & poſteriores: at partes iſtæ non idcirco habent rationem præteriti aut futuri comparativè ad hunc vel annum, vel diem, &c. Nam *v. g.* menſis December anni hujus vertentis, non dicitur menſis futurus reſpectivè ad hunc annum, ſed tantùm reſpectivè ad priores iſtos menſes. Ita præſens dies continet plures horas comparativè ad invicem aut præteritas, aut futuras, non autem comparativè ad hunc diem, in quo potiùs dicuntur ſucceſſivè præſentes Vt enim dies præſens idem eſt ac partes ipſius collectivè ſumptæ; ita partes illæ debent æſtimari perinde ipſi præſentes ſucceſſivè.

Objic. 3. Quæ ſimul non exiſtunt, ea non poſſunt uniri inter ſe, aut habere indiſtinctionem ab invicem: atqui partes temporis ſimul non exiſtunt. Ergo non poſſunt uniri inter ſe, &c. Ergo nec faciunt aliquod continuum per ſui par-

tes continuas exiſtens, &c. *Prob. maj.* Quia unio ſimul conjungit extrema : ergo ſupponit extrema illa eſſe ſimul. ℞. Verum eſſe illud de unione permanenti, non autem de ſucceſſivâ.

Inſt. 1. *Non ens* non poteſt continuari cum *ente*, ſeu eſſe idem continuativè cum ipſo : ſed præteritum, quia eſſe deſiit ; & futurum, quia nondum eſt, ſunt non ens : ergo non poſſunt continuari cum præſenti. *Diſt. Ma.* Quod eſt non ens, tam ratione totius, quàm ratione ſui, non poteſt etiam ſucceſſivè continuari cum ente præſenti. *C.* Negatur verò, ſi quod eſt non ens ratione ſui, illud ſaltem fuerit ens ratione totius quod conſtituit, &c.

Inſt. 2. *Nunc exiſtens* non poteſt continuari cum eo quod non eſt *nunc exiſtens* ; quia opponuntur ut *ens*, & *non ens*, quæ non poſſunt uniri inter ſe, aut unum aliquod ens reale conſtituere: atqui ſic ſe habent præteritum & præſens, &c. *Diſt. Ma.* Quod non eſt nunc exiſtens nec ratione ſui, nec ratione totius. *C.* Quod ſaltem eſt exiſtens ratione totius quod conſtituit, & ratione præſentis, cui ſucceſſivè continuum eſt. Item præterea *Diſt. Ma.* Non poteſt cum præſenti continuari permanenter, ſeu cum ipſo uniri unione permanenti. *C.* Vnione ſucceſſivâ. *N.*

Inſt. 3. Deberet præteritum, aut futurum eſſe ens, & actu exiſtens etiam ratione ſui, ut diceretur continuari actu cum præſenti. Ergo nulla ſolutio. *Prob. Ant.* Quia propoſitiones de tertio adjacente non ſunt veræ, niſi præſuppoſitâ veritate propoſitionis de ſecundo adjacente. Quomodo vera non eſt iſta propoſitio, *Petrus eſt albus*; niſi præſupponatur vera eſſe iſta, *Petrus eſt*. Ergo à pari verè dici non poterit *præteritum unitur cum præſenti*, niſi vera ſit iſta propo-

ſitio,

ſitio, *præteritum eſt*, ſeu *exiſtit actu*. ℞. Satis eſt quod exiſtat ratione totius, & ratione præſentis ſucceſſivè exiſtentis, cui ſucceſſivè ſit continuum. Hæcque eſt natura entis ſucceſſivi, in quo diſcrepat ab ente permanenti.

Inſt. 4. Quod non eſt nunc, nullo modo eſt actu; neque enim habet ullum *eſſe* exiſtens in rerum naturâ: ergo non poteſt continuari cum eo quod eſt actu. *Diſt. Ant.* Quod non eſt nunc neque ratione ſui, neque ratione totius quod conſtituit, aut ratione præſentis cui ſucceſſivè unitur. *C.* Secùs. *N.*

Inſt. 5. Partes præteritæ in tempore non magis continuantur cum præſenti, quàm ſi jam ſtillante aqua, & exiſtente poſteriore guttâ, priores annihilentur; quæ conſequenter non dicerentur facere unam aquam continuam cum illâ guttâ exiſtente. *Diſt.* Non facerent quidem unam aquam *permanenter* continuam; ſed tantùm ſucceſſivè continuam. Quâ ratione dicimus aquas Tyberis jam fluentes, eundem per continuationem eſſe fluvium cum eo qui olim extitit, tum eundem perſeverare ſemper, etſi priores aquæ fuiſſent prorſus annihilatæ.

Objic. 4. Si tempus, aut motus conſtat ex partibus in infinitum diviſibilibus; non poſſet in eo aſſignari aut prima, aut ultima; nec proinde poſſet incipere aut finiri. Atqui falſum conſ. ergo & antec. ℞. Ex communi loquendi modo, res illas incipere, & deſinere extrinſecè, ſeu per negationes: quas vulgò ita explicant: ac primò quidem, ut inquiunt, motus, aut tempus incipit per ultimum ſui non *eſſe*, quatenus verum eſt dicere, *nunc ultimò non eſt aut motus, aut tempus, ſed immediatè poſteà erit.* Deſinit verò per primum ſui non eſſe, quatenus vera eſt

quoque illa propositio, *nunc primò non est aut motus, aut tempus, immediatè anteà erat.*

Notabis enim, per illud genus inceptionis & desitionis extrinsecæ; seu per illum loquendi modum, non designari ullam aut primam, aut ultimam partem ulteriùs non divisibilem; Ideóque propriè accommodatur continuo ejusmodi: cùm etiam permanentis continui terminatio explicetur per negationem ulterioris extensionis: quanquam & dicitur quoque terminari positivè, per superficiem saltem virtualem. At

Not. 2. Aliâ methodo, & quidem contrariâ explicari *inceptionem & desitionem* entium permanentium; id est, quæ habent suum *esse* totum simul. Nempe ajunt illa incipere & desinere intrinsecè, per primum & ultimum sui *esse*; ita ut verè dixeris, *nunc primò res est, immediatè ante non erat.* Aut *ultimò res est, immediatè post non erit.*

Atque illi quidem loquendi modi vulgò admittuntur à Philosophis; quia sufficienter explicant id quod intendimus. Quanquam

Not. 3. Dici etiam posse, quòd res permanens desinat extrinsecè. Istudque tunc maximè usurpatur, cùm una mutatio instantanea succedit alteri immediatè. Quomodo in generatione substantiali vulgò dicimus, *primum non* esse *formæ unius*; vel *primum non* esse *privationis*, *est primum* esse *formæ genitæ.* Alioquin, ex modo loquendi nostro, intelligerentur duæ formæ simul existere in materiâ; aut etiam simul esse privatio cum formâ: quod repugnat. Item,

Not. 4. Propriè loquendo, rem nullam sive permanentem, sive successivam incipere nisi intrnisecè. *Prob.* Quia quod incipit esse, debet necessariò habere aliquid saltem sui *esse*: quod enim

enim nullo modo habet *esse*, non potest dici incipere *esse*. Et verò motus aut tempus non magis de facto existit in instanti extrinseco, quàm existebat centum antè annis : ergo in illo instanti extrinseco non magis incipit, quàm incipiebat centum antè annis. Item

Not. 5. Inceptionem & desitionem illam intrinsecam in rebus successivis posse explicari per partem aliquam divisibilem aut primam, aut ultimam, quam determinaveris. Sic enim dies *v. g* rectè dicitur incipere per primam horam, aut per primum sui minutum: quo pacto & finiri dicetur per ultimam sui horam, aut ultimum minutum, &c. Etsi enim illa hora prima aut ultima sit divisibilis in alias & alias partes priores & posteriores ipsi horæ communicantes & intrinsecas; non est tamen divisibilis in alias horas; soláque hæc est aut prima, aut ultima. Quâ ratione, per proportionem, & in continuo permanenti assignatur prima aut ultima pars determinata, putà pes aut primus, aut ultimus, &c.

CAP. V. *Nulla res creata potuit durare ab æterno.*

FUit quidem liberum Deo creare mundum priùs & priùs in infinitum, ac proinde prioribus & prioribus in infinitum partibus virtualibus æternitatis Divinæ, respondere potuit mundus, ita ut jam centum mille, & plures annos perdurasset. Nihil enim implicat. Sed

Dico I. Nulla res creata potuit existere ab æterno. *Prob.* 1. Authoritate SS. PP. ubi contra Arianos, Verbum æterni Patris esse Deum ostendunt ex eo quòd sacræ literæ doceant ipsum esse æternum. Quæ ratio non foret efficax; si quid

præter Deum posset esse æternum. Neque verò, ut scribit D. Aug. *lib.* 1. *contra Maximinum*, Ariani negabant creaturam posse ab æterno existere, sed negabant tantùm ex eo sequi Verbum esse Deum. Ita S. Ioan. Damasc. *lib.* 1. *De Fide Orth.* *c.* 8. aliisque in locis, docet creationem Deo coæternam esse non posse; seu *quod de* non esse *deducitur ad* esse, *suapte naturâ illi non coëxistere, quod sine principio existit.* Suppono enim, id quod de se est essentialiter ex nihilo sui, transire de *non esse*, ad *esse* sui, ut fiat existens: talemque esse creaturam ut sic, cùm non sit ens à se. Quâ factâ hypothesi, in hunc modum argumentor. Quod transit de *non esse* sui ad *esse* sui, non est æternum. Atqui talis est creatura ut sic. Ergo non est æterna. *Prob. ma.* quod supponit prius *non esse* sui, non est æternum: quia quod habet aliquid se prius, inde habet initium suæ durationis, seu inde incipit; cùm tamen id quod est æternum non incipiat. Atqui creatura transiens de non esse sui ad esse sui, supponeret prius *non esse* sui. Ergo non esset æterna. *Respondent*; Sufficere quòd sit ex nihilo sui; seu non ex præexistente subjecto, ut dicatur creari; non autem ut priùs fuerit sub nihilo sui. *Contrà* sic urgeo. Etiam id quod fit ex nihilo sui, debet priùs fuisse sub nihilo sui, tanquam sub termino à quo transit ad *esse* sui: ergo nulla solutio. *Prob. Ant.* Cùm enim creatura de se & essentialiter sit non ens, non potest transire ad *esse* sui, nisi præsupponatur fuisse sub *non esse* sui: quomodo nihil transit à termino à quo, ad terminum ad quem, nisi supponatur fuisse *in*, vel *sub* termino à quo; ut patet inductione. Et verò, sicut se habet privatio ad formam quæ generatur in materiâ; ita per proportionem negatio ad ens illud quod creatur: perinde

inde enim fit ex *non esse* sui,tanquam ex termino à quo: ergo quomodo privatio est aliquid prius formâ genitâ; nec simul esse potest cum formâ; ita per proportionem dicendum est de ente quod creatur,& de illius negatione. Ergo cùm ens creatum sit posterius naturâ ad sui *non esse*, incepit esse: ergo non est æternum.

Confir. Quicquid est extra Deum, est terminus creationis; ergo habet primum *esse* sui; ac proinde non est æternum. *Prob.Cons.* Quia creatio est prima rei productio: nec differt creatio à conservatione, nisi quia creatio includit novitatem essendi, conservatio autem supponit primam rei productionem. Ergo etiam quicquid conservatur à Deo, supponitur ab ipso primò productum, ac proinde cum novitate essendi. Item, tam creatio supponit antecedens sui *non esse*,quàm annihilatio præsupponit ipsum *esse* rei: atqui nihil annihilatur, nisi quod priùs esset ens; ergo nihil creatur quod priùs non fuerit non ens; & consequenter quod non includat novitatem essendi, seu quod de novo non existat, cùm anteà per totam æternitatem fuisset sub nihilo. Atque ut istud confirmetur, tam de *esse* permanenti, contra D. Thomam, quàm de ente successivo, contra alios,

Dico prætereà II. Ens permanens ab æterno esse non potest. *Prob.* Quia ab æterno connaturaliter operari non posset; cùm enim operari sequatur ad *esse*, nec magis implicet rem connaturaliter operari non posse, quàm non posse existere; si ab æterno connaturaliter operari non potest, sequitur nec posse existere ab æterno. Probatur verò,quòd ab æterno juxta naturam suam operari non posset. Nam ignis creatus ab æterno, & applicatus ad stupam comburendam,

ipsam

ipsam tamen non combureret, nisi finitâ æternitate, etsi illa stupa sit finitæ solùm resistentiæ, ac proinde finito solùm tempore debeat absumi. Item, lapis ingens ab æterno creatus medio in aëre cum omnibus ad descensum requisitis, non posset spatium quantumvis finitum, finito tempore decurrere, sed tantùm infinito. Item, Angelus ab æterno creatus, tumque simul exercens aliquam operationem vel intellectus, vel liberæ voluntatis, ab eâ cessare non posset, nisi finitâ æternitate. Mulier prægnans partum edere in lucem nequiret, nisi post æternitatem. Item, si quis crearetur ab æterno pronuncians syllabam *ba*, cessare non posset, nisi completâ æternitate, &c. *Prob.* Quia si hæc finito solùm tempore perficerentur, jam inde initium durationis suæ designarent; cùm tamen sit essentiale durationi æternæ, ut initium sui non habeat; nec proinde possit ad illius initium perveniri, etiam procedendo in infinitum: at perveniretur tandem ad initium durationis finitæ; uti quidem per se manifestum est.

Neque verò etiam illud est omittendum, quòd Deus creaturam ab æterno conditam non posset annihilare, nisi elapsâ æternitate: non enim posset illud dici æternum, quod finito solùm tempore extitisset. Atqui repugnat creaturam pro eo omni tempore quo existit, non posse etiam absolutè annihilari à Deo; sic enim Deus non diceretur habere supremum dominium in illam creaturam. *Respondent.* Creaturam in eo casu debere quidem necessariò conservari per totam æternitatem; sed necessitatem illam non repugnare cum Dominio & libertate Dei; quia est tantùm consequens, & ex hypothesi quòd Deus liberè illam voluerit producere ab æterno.

Con-

Contrà verò est. Quanvis enim ex hypothesi quòd Deus decreverit creaturam aliquam conservare per totam æternitatem, non possit consequenter, ratione suæ immutabilitatis, illam per totam æternitatem non conservare: pertinet tamen ad ipsius libertatem & supremum dominium, ut ita statuens de creaturâ, potuerit contrarium statuere. Quod secùs eveniret in hypothesi creaturæ ab æterno: siquidem non posset habere aliud decretum, quàm de illâ per totam æternitatem conservandâ.

Dico III. Multò minùs ab æterno potuissent existere entia successiva, ut motus, & tempus. *Prob.* Quia ens successivum dicit essentialiter *prius & posterius.* Atqui non potest esse ab æterno *prius & posterius.* Pars enim motus aut temporis *posterior*, præsupponeret *priorem*, cujus ex desitione traheret initium sui. Quinetiam pars illa *prior* non haberet finitam solùm durationem; ergo posterior non inciperet nisi elapsâ æternitate: ergo non existeret ab æterno; quia quod supponit aliud prius se ab æterno existens, æternum esse nequit. Adde quod pars ejusmodi *prior* ab æterno existens sine *posteriore*, non posset dici pars entis successivi, quia non haberet esse in fluxu continuo partium priorum & posteriorum, &c.

Item, sol *v. g.* creatus ab æterno cum suo motu, fuisset productus in aliquâ cœli parte determinatâ, putà in oriente, vel in occidente; indéque potuisset assignari à Deo initium motus solaris: ergo ille motus qui ex hypothesi foret æternus, simul non esset æternus, quia non careret initio sui.

Item, inde sequeretur ab æterno fluxisse annos actu infinitos, diesque & horas pariter actu in-

infinitas; cujusmodi infinitudo contradictionem in se involvit: nam infinitus numerus annorum superaretur à numero infinito dierum, aut horarum,&c. Item,sic potuissent ab æterno existere generationes hominum aliæ post alias; aut etiam ad singulas æternitatis horas, & dies creari novi, & novi Angeli; ac proinde sic existeret actu infinita multitudo Angelorum, animarum rationalium,&c. Item,in iis generationibus aut hominum, aut aliorum animalium quæ extitissent ab æterno, reperiretur tum primus *v.g.* homo; ille nimirum qui immediatè prodiisset à Deo; tum ultimus qui hodie nascitur: ergo sic fieret infinitum clausum duobus terminis. Item,sic duratio quæ supponitur infinita, sive entis permanentis, sive successivi, non esset impertransibilis: ergo simul non esset infinita. *Prob. Ant.* Quia de facto Angelus creatus ab æterno jam pertransiisset æternam durationem; possetque regrediendo mente & cogitatione ab ipso pertransiri, singulos in eâ veluti annos designando; Quia non est major distantia ab hoc instanti usque in æternum,quàm ab æterno usque ad hoc instans. Nec dicas,valeret istud argumentum etiam contra Dei æternitatem. *N. parit.* Quia suppono ex Metaphysicâ de Deo, Divinam Æternitatem esse totam simul,& velúti instans permanens, nihilque ipsius præterire.

Notabis autem *Æternitatem* esse quoddam genus *infiniti*, ac proinde pari modo esse attributum creaturis incommunicabile. Quibus quidem in quæstionibus inferri solet, quòd sub sensu tum absoluto,tum hypothetico, *res simul esset & non esset talis*. Quemadmodum suis exponitur locis. Nec dicas; Cùm ajunt *res simul esset & non esset*, quidni ex illâ propositione inferatur

rei

rei *possibilitas*, perinde ac *impossibilitas*? Siquidem tam asseritur *quòd esset*, quàm *quòd non esset*. ℞. Quia talis natura est *partis negativa*, ut omne affirmativum destruat; quamobrem solet dici *malignantis esse natura*.

CAP. VI. *Solvuntur Objectiones.*

OBjic. 1. De se non repugnat aliquid produci ab æterno; nam in Divinis Filius & Spiritus S. producuntur ab æterno. Ergo falsum est quod diximus. ℞. Dictum est tantùm, nihil posse produci ab æterno ex nihilo. Creaturæ autem duntaxat proprium est produci ex nihilo; nec repugnat creatura æterna, aut ratione creaturæ ut sic; aut ratione productionis æternæ ut sic; sed tantùm ratione æternitatis conjunctæ cum creaturâ.

Inst. 1. In eâ propositione *creatura est æterna*, prædicatum non destruit subjectum; ergo non implicat contradictionem. *Nego Ant.* Nam æternitas destruit proprietatem essentialem creaturæ; nempe quod transierit à *non esse* sui ad *esse* sui.

Inst. 2. Esset effectus realis; & esset à Deo ex nihilo sui. Ergo haberet rationem creaturæ. *Dist. Ant.* Esset ex hypothesi, & simul absolutè non esset; quia non intelligeretur transiisse à nihilo sui, ad *esse* sui.

Inst. 3. Nihil repugnat eam esse æternam à parte *post*. *C.* Ergo neque à parte *antè*. *N. parit.* Quia in isto solùm casu supponeretur non transiisse à *non esse* sui, ad *esse* sui.

Inst. 4. Est possibilis ab æterno; nam ejus possibilitas est æterna; cùm inceperit nunquam: ergo pôtuit esse ab æterno. *Dist. Ant.* Est possibilis ab æterno pro tempore; nec incepit un-

quam

quam ejus possibilitas pro tempore. *C.* Est possibilis pro æterno. *N.*

Inst. 5. Datur aliqua veritas entis creati, etiam pro æterno. Ergo & entitas: quia, juxta Metaphysicos, idem sunt *ens & verum. Prob. Ant.* Nam ab æterno & pro æterno vera est illa propositio, *Homo est animal.* Vel *quinque & quatuor faciunt novem.* Ideóque dicuntur propositiones sempiternæ veritatis. ℞. Sic tantùm sunt veræ per conformitatem ad objectum in se, abstrahendo ab ejus existentiâ. Vt habetur in Logicâ *Disp.* 3. *c.* 6. vide & Metaph. *Tract.* 1. *Disp.* 3. *c.* 3.

Inst. 6. Potuit esse ante quodlibet prius, seu ante quodlibet tempus. Ergo ab æterno. *Dist. Ant.* Potuit esse ante quodlibet tempus, & antè prius determinatum, aut determinabile. *C.* Indeterminatum. *N.* Notandum enim est æternitatis partes virtuales de se esse quid indeterminatum; item singulas distributivè esse à *Deo* determinabiles, non autem singulas collectivè; cùm earum collectio sit impossibilis.

Objic. 2. Ab æterno Deus habet omnipotentiam liberam, seu requisita omnia ad producendum mundum: ergo potest illum producere ab æterno. *Dist. Ant.* Habet ad producendum pro tempore. *C.* Pro æterno. *N.* Quia nulla est potentia ad impossibile. Nec consequenter Deus potest agere ad extra, nisi absolutâ æternitate.

Inst. 1. Sequeretur Deum esse perfectiorem in agendo post æternitatem quàm ante; quod implicat: quia Deus nullam unquam potest acquirere perfectionem. ℞. Deum eandem perfectionem ad agendum pro tempore habere semper, sive ab æterno, sive in tempore; ab eâ tamen prodire nihil potest nisi in tempore.

Inst. 2. Ergo mundi productio æterna superaret

raret vires omnipotentiæ Divinæ. Atqui hoc implicat. ℞. Perinde est ac effectio chymeræ; quæ quidem non est aut *juxta* vires omnipotentiæ Divinæ; aut *supra*, quatenus dicatur tantùm producibilis à potentia superiori; sed est tantùm *præter*.

Inst. 3. Sequeretur Deum pro totâ æternitate non habere dominium in suos effectus. ℞. Habere totâ æternitate dominium in suos effectus, non tamen pro totâ æternitate, sed pro tempore.

Objic. 3. Potentiæ temporali respondet effectus temporalis. *C*. Ergo æternæ æternus; ergo cùm detur potentia æterna, poterit ab eâ esse æternus effectus. Alioqui nihil haberet suprà temporalem. ℞. Habere hoc quòd possit effectum suum producere priùs & priùs in infinitum; non autem quod possit æternum; quia de se implicat, seu quia de se res creata habet incapacitatem ad hoc ut sit æterna: quatenus debet transire à *non esse* sui, ad *esse* sui.

Inst. 1. Si sol esset ab æterno, inquit D. August. ab eo lumen æternum effectivè procederet. *Prob*. Quia effectus potest simul esse cum suâ causâ. Ergo, inquiunt D. Th. Suarez & alii, cùm Deus sit ab æterno, potest esse cum eo effectus aliquis æternus. ℞. Effectus potest simul esse cum causâ creatâ, quia in eo casu potest servari transitus à *non esse* sui, ad *esse* sui: at è contrà, non potest simul esse cum causâ increatâ. *Dist. autem primum Ant.* Sol ex hypothesi impossibili suæ æternitatis produceret lumen æternum. *Trans.* Perinde enim est ac ubi ajunt, si chymera esset animal, esset vivens, sentiens, &c. quæ in sensu absoluto falsa sunt; unde illa simul essent in sensu hypothetico, & simul non essent, in sensu videlicet absoluto.

Inst. 2. Deus potest id omne quod potest Sol, si esset æternus. Atqui *Sol* posset effectum æternum. Ergo & Deus. *Dist. Ma.* Potest in sensu hypothetico, id est ex hypothesi quòd esset possibile. *C.* Potest in sensu absoluto. *N.* Nam illud absolutè secundùm se est impossibile, nec datur potentia ad impossibile.

Inst. 3. Si Sol foret æternus, produceret lumen æternum. Ergo ratio propter quam sol non producat lumen æternum, est defectus æternitatis. Atqui hæc conditio non deest in Deo: ergo potuit producere effectum æternum. *Dist. Ant.* Sol æternus lumen æternum produceret in sensu hypothetico. *C.* Quia ex hypothesi quod daretur Sol æternus, sequeretur creaturam ab æterno existentem non esse impossibilem. At negandum illud est in sensu absoluto. Nec ratio, cur Sol produceret lumen æternum, petitur ab æternitate illâ Solis, nisi in sensu hypothetico, quem modò explicui. Alioquin, absolutè loquendo, creatura habet de se absolutè, quòd nequeat produci ab æterno.

Inst. 4. Si Deus esset agens necessarium, produceret creaturas ab æterno; *juxta philosophiam Aristotelis.* Atqui nihil de illâ virtute detrahit, quòd sit agens liberum: ergo pariter sic posset producere creaturas ab æterno. ℞. si esset agens necessarium, minùs posset; imò quemadmodum habetur in Metaphys. de Deo. *cap.* 9. nihil posset actu efficere.

Inst. 5. Negatio mundi ab æterno est libera Deo; id est, eam ab æterno potuit pro suâ libertate tollere. *Dist.* Tollere pro æterno. *N.* Pro tempore. *C.*

Inst. 6. Non potest assignari in æternitate quando primùm duntaxat potuerit Deus aliquid

pro-

producere. C. Ergo semper potuit. *Dist.* Semper potuit pro eo tempore quod voluerit eligere. C. Pro æterno. N. Item, ℞. Potuit quidem priùs & priùs sine termino indeterminatè; sed non est primum determinatum in totâ æternitate, in quo solùm potuerit mundus produci à Deo.


Colliges verò ex dictis. 1. In causâ efficiente creatâ sufficere prioritatem naturæ ad effectum; at in increatâ necessariam esse prioritatem æternitatis, pro quâ non sit possibilis effectus ullus. Nec dicas, quando ergo potuit creari mundus? Quando Deus voluit: siquidem illud solùm pendet à libero ejus nutu.


Collig. 2. In æternis non reperiri *prius & posterius*. Illud de prioritate aut posterioritate temporis probavi cap. superiori. Resque eodem modo se habet de prioritate naturæ. Cùm enim ajunt, statum indifferentiæ necessarium ad libertatem, priorem fuisse ad statum liberæ determinationis; negandum illud est. Quia Deus non dicitur antecedenter indifferens ad productionem effectuum, per aliquam prioritatem positivam, sed tantùm per negativam; eo nimirum sensu, quòd nihil habuerit antecedens, unde voluntas ejus ad agendum determinaretur. Eamque ob causam mundi productio dicitur libera, quia sic ab æterno Deus voluit mundum producere, ut etiam ab æterno potuerit non velle illum producere.


Collig. 3. Æternitatem simpliciter dictam esse attributum Dei proprium, & *infiniti* genus quoddam creaturis incommunicabile: quamobrem Deus ita solus de facto est æternus, ut solus esse æternus possit. Atque hujus quidem æternitatis naturam exposuimus in Metaphysicâ de Deo. *cap.* 5.


Ad majorem Dei gloriam.


PRO PHYSICA UNIVERS:











INDEX
TRACTATVVM, DISPVTATIONVM ET CAPITVM PHYSICÆ VNIVERSALIS.

DISPVTATIO II.

De Materiâ primâ.

DISPVTATIO III.

De forma substantiali.

DISPVTATIO IV.

De Toto, seu composito naturali.

TRA-

TRACTATVS II.

De principiis, seu causis extrinsecis corporis naturalis.

DISPVTATIO I.

De naturâ & divisionibus, seu multiplicitate causæ efficientis.

DISPVTATIO II.

Causæ efficientis causalitas, seu actio.

DISPVTATIO III.

Dependentia causæ creatæ ab increatâ.

DISPVTATIO IV.

De virtute activâ causarum naturalium.

DISPVTATIO V.

De conditionibus ad agendum.

DISPVTATIO VI.

De producibilitate rerum.

DISPVTATIO VII.

De causâ finali.

PHYSICÆ VNIVERSALIS PARS SECVNDA.

TRACTATVS VNICVS.

De proprietatibus corporis naturalis.

DISPVTATIO I.

De Quantitate propriâ corporis naturalis.

INDEX.

DISPVTATIO II.

De Infinito.

DISPVTATIO III.

De loco & vacuo.

DISPVTATIO IV.

De Motu.

VIII. De

DISPVTATIO V.

De duratione.

FINIS.

